

CENTRALE V. E. II



NAZIONALE
BIBLIOTECA
CENTRALE V. E. II
RB
1359
ROMA

CAROLI GALLI
MEDICI, AC PHILOSOPHI PONTREMVLENSIS,
DE FEBRIBVS PESTILENTIBVS, AC MALIGNIS,
Tractatus Bipartitus.

In quo elegantissima, & copiosa Alexipharmaca, vsuq; comprobata per eumdem acuratè examinantur.

Nec non quaestio an venae sectio cucurbitule hyrudines vel scarificationes conueniant in dictis febribus authoritatib. Eximiorum virorum absoluitur.



FERRARIAE


Apud Victorium Baldinum Impressorem Cameralem.

De consensu Superiorum. 1600.

FRANCISCO MALASPINAE
MARCHIONI TREXANAE,
SACRI ROMANI IMPERII FEVDATARIO,
Cæsaris Pocilatori, Serenifs. Magni Ducisq; Hetruriæ
apud Serenifs. Ducem Mutinæ Oratori.



CAROLVS GALLVS Perpetuam fęlicitatem exoptat.



ECREVERAM iamdudum tracta-tum meum de febribus pestilentibus, & malignis, ita manu scriptum, tradere magnanimo Principi Hostiliani patrono meo aut oretenus voluntatem meam ei patefacere vterum locorum distantia hactenus [redacted] vt in aliam sententiam deuenire [redacted] quamprimum illum tradere, Necnon doctissimorum virorum censuræ alacri animo me suponere, ne si quid boni forte insit, quòd Reipublicæ prodesse possit diutius tenebris lateret ni casus laborq; noster remaneret, Quare cum ego præfuissem curationi, dulcis. filioli tui Gulielmi, teque de hac re ingenue (vt facere semper consueui) aloquutus essem ingenti desiderio te flagrare vt id perficerem ostendisti meque animi quadam sinceritate ad hanc prouinciam hortari conatus es, tanta enim humanitas erga amicos & seruos tuos semper extitit, vt alicui prodesse fauereque perpetuo studeas, Neque


mirum profecto, alicui istud videri debet, cum ex antiquissima Illustrissimaq; Malaspinarum familia ortus sis, quæ bonis viris opitulari patrocinariq; semper consueuit. Quæq; Cæsari Romanoq; eius Imperio gratissima in summo honoreque habita semper extitit, virtute enim eximia armis, & consilio laudatissimos auratisque & præciosissimis literis historijs posteritati commendandos perpetuo habuit, à teneris insuper in Aula Cæsaris summis honoribus educatus sis. Necnon ante te Pater atque proaui tui ijsdemmet honoribus a prime decorati fuerint, & denuo à Serenissimo Hetruriæ Magno Duce, in grauissimum Oratorem suum dilectus fueris, teque arduis, & magnis eius negotijs ob summam prudentiam tuam semper destinauerit, Hinc est quod ego sponte incredibili humanitate tua compulsus hunc primitiuum meum fœtum tibi impertiri decreui, vt si quid boni in eo depræhenderis libenter letaque fronte, ac vti in te mei testem locupletissimum capias, meque foueas, & diligas, Ea qua soles humanitate, & benignitate erga a ditissimos seruos tuos. Vale.

Datum Pontre[redacted]



PROHE-

PR HEMIVM.



VM Febris peſtilens, & forſitan, quæ mali modi à Principe Abohali, & à Galeno mali moris appellatur: Annis proximè elapſis, necnon hac noſtrâ tempeſtate tot vrbes, oppida, ac loca infeſtauerit, totuè egregios, ac præſtantiſſimos viros ex omni genere ab hac vitali aura ſurripuerit; vt candidati in arte medica, alioqui doctiſsimi, & præclariſsimi penè perterriti, aduerſus vulgatum hunc morbũ, quicquam amplius ob eius ſœuitiam, emoliri non auderent; cogitantes forſitan illud Sapientis Senecæ. Quicquid facimus, mortale genus, quicquid patimur venit ex alto; atq; veluti deluſi ij omnes in curandis tàm diris morbis, recedere à curandi communi dogmate, decertarent; rurſusq; ſubortæ fuerint, non leues contentiones inter vulgares Medicos, circa modum curandi has febres; & adhuc ſectatores varij, prout cuiuslibet fert opinio, pululent: non ſine Apolinis, atq; Exculapij maximo dedecore, vt qui Eraſiſtrateam ſcolam reuocare conati ſint; ſubit mihi frequenter mirari, hanc miſerimam noſtrorum temporum calamitatem, Deum immortalemq; teſtor, vigilijs, ac laboribus, me non pepercille, vt præſidia adinuenirē, quæ citra iactantiam humano generi ſubuenirent, & aliquid boni tutò in tàm dira affectione præſtare valerent; Cumq; nihil artis, Principe dignum adinueniſſem, ex eius monumen-

tis,

tis, qui ſtrictè, atq; obiter ferè ſemp[illegible] Peſtilentia egit; & nullam ſatis explicatam, abſolut[illegible] doctrinam ab eo acceperim; ex frequenti vſu noſtro demum, præclariſſimorum virorum auctoritatibus ſuffultus. Tractatū hunc de febribus malignis, ac peſtilentibus, vberimis, ac præſtantiſsimis medicamentis refertum compilaui: vtilitatiq; publicæ magis; quàm inanis gloriæ cupiditati ſtudens, in publicum exire curaui, ac ne verborum prolixitate, tedio, aliquos afficere viderer, breuitati ſermonis, planè vt potui indulſi: Rem .n. medicam paucis, recteq; diſpoſitis conſtare, non ignoramus; quemadmodum fidem faciunt ea, quæ tradita ſunt ab Hippocrate in tota Aphoriſtica doctrina, ac quamplurimis alijs in locis, quæ hic referre non opus eſt: Vt igitur initium ſumat hæc noſtra oratio, ac nè empiricè agamus; ſed potius Methodo certa, & dogmate verſemur, erit mihi exordiendum hac rationali via.



TA-

T A B V L A.

Capita primi Tractatus.


Prohemium.
De diffinitione febris pestilentis. Cap. 1. pag. 1.
De diffinitione febr. pestil. per causas. C. 2. pag. 2.
De causis pestilent. feb. C. 3. pag. 3.
De generat. pest. feb. C. 4. pag. 4.
De signis futuræ pest. C. 5. pag. 7.
Signa ab aere, aqua, & terra petenda. C. 6. pag. 8.
De præseruatione, per sex, non naturales res. C. 7. pag. 10.
De Aere. C. 8. pag. 10.
De regimine aeris. C. 9. pag. 11.
De rectificatione aeris. C. 10. pag. 13.
De cibo, & potu. C. 11. pag. 16.
De pane. C. 12. pag. 18.
De obsonijs. C. 13. pag. 19.
De saporibus, & embamantibus. C. 14. pag. 22.
De oleribus. C. 15. pag. 23.
De piscibus. C. 16. pag. 24.
De ouis. C. 17. pag. 25.
Da caseo, & alijs lacticinijs. C. 18. pag. 26.
De butyrro. C. 19. pag. 29.
De fructibus. C. 20. pag. 30.
De potu. C. 21. pag. 32.
De somno, & vigilia. C. 22 pag. 34.
De motu, & quiete. C. 23. pag. 73.
De animi accidentibus. C. 24. pag. 39.
De Venereis. C. 25. pag. 40.
De inanitione, & repletione. C. 26. pag. 42.
De flebotomia, & alijs chirurgicis necessarijs. C. 27. pag. 42.
De Pharmatia. C. 28. pag. 44.
De lapide Bezahar. C. 29. pag. 48.
De modo sumendi Bezahar. C. 30. pag. 52.
De vnicornu. C. 31. pag. 52.
De Bolo armenica, & sigillo armenico. C. 32. pag. 55.
De vsu Scorzoneræ, & de nonnullis alijs præstantioribus ac vsitatis Alexipharmacis. C. 33. pag. 56.
De mirifica, ac Bezahartica quadam compositione chymica arte parata. C. 34. pag. 59.
De recenti quodam, ac mirabili Bezahartico ex floribus nucum. C. 35. pag. 61.
De Anthidoto aduersus vermes in pestilenti constitutione, pro pueris. C. 36. pag. 62.
De externè præseruantibus. C. 37. pag 62.

Capita Secundi Tractatus.

De digniot. feb. pest. C. 1. pag. 66.
De prænotione, seù prognostico. C. 2. pag. 69.
De curatione. C. 3. pag. 70.
De cibo, & potu. C. 4. pag. 71.
De potu. C. 5. pag. 73.
De motu, & quiete. C. 6. pag. 74.
De somno, & vigilia. C. 7. pag 75.
De inanitione, & repletione. C. 8. pag. 75.
De accidētibus animę. C. 9. pag. 75.
De flebotomia, & alijs chirurgicis. C. 10. pag. 76.
De Pharmatia. C. 11. pag 81.

CAROLI GALLI DE FEBRIBVS PESTILENTIBVS, ET MALIGNIS TRACTATVS PRIMVS.

De diffinitione febris pestilentis. Cap. I.



EBRIS pestilens est calor extraneus, & contagiosus, qui ex putrida ebulitione cuiusuis humoris circa cor accensi, vt plurimum cõtingit: contagiosus inquam, cum ab vno ad alium celeriter, ac facilè transeat, ac depręhensos indè interimat, vt placuit Hipocrati tertio de morbis vulgaribus.

Febrem hanc esse contagiosum morbum attestatus fuit, & Auicen. fen. 2. pri. cap. 8. inquiens ibi, ꝙ ex ægritudinibus, aliæ sunt, quæ ab vno ad alium transeunt, vt lepra, scabies, variola, febris pestilentialis, & apostemata putrida.

Cor insuper affici necessarium esse, auctoritate Galeni, nec non ipsa ratione comprobari potest, exemplo ambientis aeris status à Galeno tradito; inquit siquidem Gal. 1. de differ. febri. c. 6. calidiores ambientis nos Aeris conditiones, potissimum per inspirationẽ nostrum cor calefacere, extrinsecusq; circumfusas corpori, totum ipsum calidum reddere, maximeq; Arterias, vt quæ non nihil substantiæ ipsius ambientis aeris attrahant, ex quibus omnibus cor vna affici necessarium esse patet: atq; id magis rationibus, comprobari poterit, vbi aeris conditiones subeant pestilentes; inspiratio siquidem causa potissimũ est, vt putridus, atq; venenata qualitate aer affectus, ad ipsum cor attrahatur, humoresq; in eo contenti, & ad suscipiendum putredinem apti sæpè inficiantur: didicimus enim ex eodemmet Galeno 6. de locis affectis cap. 5. Vitam ab inspiratione, & inspirationem à vita minime separari posse. Ex quibus patet liquidò cor ipsum, atq; humores in eo contentos seruari à salu-

bri aere in Symetria; à temperamento deprauato verò, & coinquinato, affici, & opprimi; si modo ab aliqua interna, & oculta causa, id non emergat, aut ex primis causis, vt Principi placuit, aliquid non eueniat. De pestilenti febre, extant quàmpluriũ doctissimorum virorum antiquorum, & recentium, sub diuersis nominibus traditiones; nam aliqui assumpserunt sibi nomen Epidimiæ; alij Vndimiæ; nonnulli verò Pestis, seù Pestilentiæ, nec non febris pestilentis; Quę quidem nomina licèt diuersa appareant, à Galeno tamen, & ab Auicenna pro nominibus synonimis sæpè numero habentur. Placuit itaq; mihi adherere Galeno primo de differ. febrium, vbi de pestilentia sub nomine febris pestilentis ex professò egit non semper vero, & necessariò ad pestilentiam sequitur febris, quinimò ex maligno aliquo ac teterrimo odore, quamplurimos, non sequuta febre, repentino obitu cecidisse sæpè conspeximus, quemadmodum continngit ex alitu putridissimi sarcogaphi, aut cuiusuis subterranei loci, in quo cadauera, vel putrida grana diù seruata fuerint: verũ de hac re à nobis habenda, nulla est ratio, cum istud parum ad Medicum referrat negotium, nullasq; ei prorsus indutias præbeat; illicò .n. malignus, ac putridus vapor, à parte illa subterranea eleuatus, atq; per inspirationem ad vitalia atractus, vitales auras extinguit, & iccircò remedio non est locus.

De differentiæ febris pestilentis, per causas. *Cap. II.*

FEbrem pestilentem per causas deffinire nonnullis magis placuit: tunc sic.

Febris pestilens est aeris corruptio cordi, ac eius arterijs cõmunicata ex qua contagiosus calor accenditur, & animal non multo post destruere, aptus est: Non secus etiam ab Vndimia, conclusio diffinitiua elici potest, nempè à mala qualitate fructuum, & nascentium terræ, tùm aquarum, & quæ humano victui conducere solent, cum scilicet corrupti, vitiosi, & mali vapores in profundioribus eorum partibus retinentur, tunc est corruptio Aquæ & terræ ob prauam qualitatem eis iniunctam.

De

De causis pestilentis febris. Cap. III.

PEstilentis febris causas recẽset Galen. libro paulò ante memorato de differ. febrium c. 6. quas quidem, binas esse per spicuè statuit, quarum potissima, ac prior, vitiatus aer, nec non venefica qualitate fœdatus, qui ab animali continuò veluti pabulum innati caloris atrahitur per inspirationem, & sine quo ipsum animal vitam propagare minimè valet: Altera verò, sũt homores prauis edulijs comparati; nec non ad suspiciendũ putredinẽ apti, hij .n. leui quacumq; causa, occasionẽ ab ipso ambiẽti aere suscipiunt. Immediatis his causis mediatas, ac lõginquas causas, hoc est corpora cœlestia addidit Auicẽna necnon & alij quamplures ex antiquis, pro quorum sententiæ explanatione, hic non immorabor, cum ad institutum nostrum, non satis attinere videantur: Putredinis initium, à quo nempè, aer, malitiam suam traxit, ex cadauerũ non humatorum, vt in bello fieri solet, aut ex brutorum animalium, veluti canum, & serpentum interfectorum multitudine, sæpe numero accidit, aut exalatione alicuius stagni, paludis, lacunarum, cloacarum, vel quorumcũq; fœdorum locorum, & viarum euaporatione, tùm ex subterraneo aere diù incluso, interdum verò immoderatus calor circumfluentis aeris esse principium putredinis, non dubitauit Galenus loco citato, vbi ex Thucide refert, homines, qui in angustis tugurijs viuebant, æstiua tempestate, contagio proculdubio fuisse affectos, obnoxium quoque corruptioni aeris calidum, atq; humidum eius temperamẽtum attestatus fuit Galenus primo de Temperamentis c. 4. asserens omnium aeris temperamentorum pessimum id esse, quod humidum, & calidũ est. Quid si aeris temperamentum inæquale statuatur, veluti fieri consueuit in autumnalibus temporibus, & illud quidẽ perniciosum est, rarefactum namq; ob eam, quę præcessit constitutionem calidam, nedum omnem corruptionem à terra, prauis vaporibus ad ipsum demandatis; verùm à quacumq; leui occasione, alterari potest, ob eius raritatem; hinc est ꝙ inæqualitates, ea tempestate maximè fiunt, & accidunt perniciosi, mor-

bi & exitiales, quemadmodum voluit Hipocr. sect. 3. Aphor. Aphor.8. vbi asseuerat, in inconstantibus temporibus, inconstantes morbos,& mali iudicij fieri.

De generatione pestilen. feb. ac eius differentijs. *Cap.* IIII.

QVod spectat vero ad generationem febris pestilentialis, scire licet,tripliciter in corporibus nostris hanc febrem contingere, primo namq; modo communicata praua,& occulta Aeris qualitate humiditatibus cordis, febris pestilentialis, immediatè accenditur, & reuera febris ista dicitur febris pestilentialis,vel febris pestilētiæ,quæ vagatur tempore pestilentiæ, & à praua, ac venenata aeris qualitate excitatur in corde per eius immediatam inspirationem humores in eo contentos, vel ipsius cordis substantiam depascendo: Secundo loco, accidit in corporibus nostris pestilentem febrem generari, ope, & medio alterius febris,vel alterius morbi,veluti cū mala aeris qualitas alicui febri iungitur videlicet. Ephimeræ,Tertianæ,Quotidianæ, Sanguineæ,& continuæ, iuncta enim praua illa qualitas occultè alicui ex his febribus, communicatur cordis humiditatibus, & sic generatur Ephimera pestilētialis, Tertiana interpolata,& continua,& quotidiana,similiter pestilentialis;quę quidem febres, non immediatè à malitia aeris cordi, ac ipsius Arterijs communicata, originem ducunt, sed mediatè, & per communicantiam mali vaporis ad cor ascendentis, ac prouenientis à febribus enarratis, & ab occulta malignitate aeris ita dispositi,quemadmodum sæpissimè à nobis fuit obseruatum,& præsertim 1571. anno, quo quidem tempore, qui ægrotabant, interpolata tertiana, primis diebus inuadebantur, quæ ab occulta illa,& pernitiosa aeris qualitate,pestilentialis,& maligna postea efficiebatur,& ferè omnes,qui ea tempestate, tali febriū genere laborarunt, interiere.

Ad huiuscemodi recitatas differentias, Tertium genus febris pestilentis satis vulgatum accedit,quod & iamdiū in Italia ac ferè per totum orbem,vagari,iam satis notum est; Id autem

nequè

neque malitia, aut aliqua aeris corruptione, sed mala, & occulta qualitate in corpore nostro genita excitatur. Febrem huiusce generis, Mali modi Princeps, & mali moris Galenus appellare consueuerunt, vixq; illam à vera pestilenti febre: Nonnulli Medici distinguere didicerunt, cum non minus grauiora in hac febre symptomata contingant, ac si ab aeris, contagio ipsa euenirent, atq; nedùm per substantialiter inherentia, verũ etiam per omnia eius symptomata simillima febri, ab aeris malitia venienti quinimo vniformis habeatur. Quòd autem febris pestilens in hunc modum, citrà malam intemperiem, aut corruptionem aeris, ac eius occultam malam qualitatem generetur in corporibus nostris, non multis exemplis, aut grauissimorum virorum auctoritatibus id probare nitemur, cùm satis superq; ex præteritis, tum ex his, quæ quotidiè contingunt, iàm omnibus compertum sit: vidimus .n. annis proximè decursis, Romæ, Bononiæ, Mantuæ, Cremonæ, Parmæ, ac innumerabilibus alijs in locis. flebili Annonæ penuria pręcurrente, ob praua, & vitiosa ędulia, tot, tantosq; ex omni genere, misserimè interijsse, vt mihi superuacaneum sit, prolixum de hac rę sermonem facere: Non ego .n. ex his quãplurimos, qui pane ex glandibus vescebatur; alij verò ex vuarum acinis; alij ex oriza non excoriata; nonnulli verò radicibus agrestibus, herbis, ac Plantis sibi fercula parabant; atq; in hunc modum vitam misserime ducebant: & ideò omni superuacaneorum genere repleti, in pestilentes febres inciderunt, quæ putredine sua, prauitate, occultaq; & mala qualitate symptomatibus, atq; exitiali affectu, Pestilentiam ob Aeris contagium sequebantur: Sed dubitabit forsitan, & non sine ratione diligentissimus speculator de Nobilibus, ac diuitibus, ꝙ, & ipsi hoc febrium genere laborauerint, non secusq; ac pauperes, & ipsi quoque interierint, licet vitam in delitijs degerint, lautoq; victus genere vterentur. Quibus respõdere, licet arduum videatur, nos tamen audacter dicimus, longè minorem fuisse diuitum numerum, qui ea temporum calamitate è vita migrarunt, pauperibus ipsis: hiq; vt diuitias compararent, qui adeò auidè per fas, & nephas, eas congerere

cupie-

cupiebant, peiori victus ratione, quàm ipsi pauperes fortè victitarunt: Neq; etiam absurdum esse putauerim (vt contagij medium tuceam) si primæ causę, hoc est Deo Opt. Max. vti nostrorum scelerum vltori, hoc referatur: Quis .n. vmquam tot pauperum sanguisugos; Quis tot Midas, & Epulones nouit, non sibi Mercator, non Nobilis, ac Diues constat? omnes appetunt non solum esse Diuites, verum, & Diuites Principes, & Principes Reges, & Reges Monarchę, & sic in infinitum ambimus; vbi Charitas? vbi Religio?, Heù infandum Auaritiæ Piaculum, Auri sacra fames, quid nō mortalia pectora cogis? hęc vna potissima causa nostræ perditionis, vnde iustissimus Deus, vt delictorum nostrum grauitatem puniat, diras pestilentias annuit, veluti multa huiusce rei testimonia in Prophetis extant, quę ne sutor vltra crepidam ommissa faciam.

De natura huius febris, q̃ à mala, & occulta qualitate in corpore nostro generatur, erit videndus Auicenna fen. prima 4. canonis ibi enim, vt paulò ante dixi, febrem mali modi, auctor ipse appellare illam consueuit; Cui sententiæ licet non satis refragari ea videantur quæ tradita sunt à Galeno citato loco de differ. febrium, vt qui ad pestilentem generandam febrem, Aerem vitiatum concurrere, ex eius. Dumtaxat, verbis colligatur; non propterea negauit Galenus quin citra malam illam aeris dispositionem fieri possint huiuscemodi febres malignæ nullatenus à pestilentibus dissimiles, quas quidem febres malè morigeratus, vt ego dicebam, diuinus hic auctor, appellare consueuit: Neq; fidelissimus eius interpres Auicēna à mente ipsius Galeni, distare videtur, cum eorum quisq; à vera pestilentiali, hanc febrem distinguere conatus sit: ex quibus omnibus colligere possumus, omnem pestilētem febrem, esse mali modi, sed non è conuerso, & hæc quantum ad febris pestilentis naturam causas, & differētias hactenus sufficiant: Esset modo deueniendum ad peculiarem dignotionem, prænotionem, & curationē huius febris; verum cùm in animo mihi versetur apponere nonnulla futuræ pestis indicia; & qua ratione quisq; prudenter à tàm dira affectione sibi præcauere possit: de febris pestilentis

digno-

dignotione, prænotione, ac curatione, tum de eius accidentibus corrigendis particulariter, & quam accuratè postea à me agendum erit in secundo Tractatu.

De signis futuræ pestis. Cap. V.

QVemadmodum cœlestes figuræ, licet causæ longinquæ, vt voluit Auicenna concurrunt ad generationem pestilentiarum, ita quoq; ex horum corporum aspectu, coniunctionibus, oppositionibus, eclipsibus, ac alijs quamplurimis, futuræ pestis inditia desumuntur, ex diuersa enim horum corporum natura, commistione, & motu, varij, ac dissimiles affectus producuntur.

Huius autem rei fidem faciunt frequentes terræ interpositiones inter Solem, & Lunam Eclypses Lunæ appellatę, Martis insuper & Saturni, ac aliorum fixorum signorum coniunctiones ex quibus potissimum, secundum Astrologos, pestilentiam causari perspicuè nouimus: stellarum quoq; proprietatibus, non minus edocti fuimus, præsertim illius stellæ, quam Cometem Astronomi vocant hæc .n. quotiescumq; apparuit, & quorsum aspectu, ac radijs se reflexit, miserimos, ac lugubres affectus, perpetuò indicauit, veluti prudentissimè de cœtero peritissimi annotarunt Astronomi anno præsertim 1575. quo quidem tempore spatio dierum non modico, per vniuersam Europam, vt taceam alias Regiones, fuit hæc stella comata, diligenter obseruata; & non multo post celeberimæ ciuitates quamplurimę, oppida, & loca, cōtagio, & mortalitate ingenti infestatæ reman sere, inter quas Venetiæ, Mediolanum, Brixia, Genua, Mantua, nec non quamplures aliæ ciuitates, vltra, citraq; montes, vt taceam oppida, Rura, & loca, quę infinitā ferè fuere, Huius cometæ, ac aliorum quamplurium signorum portenta, Antiqui, tùm recentes Astronomicæ scientiæ periti, plura annotauerūt, Quorum auctoritates, & monumēta, cum ferè infinita reperiantur, superuacaneum hic referre duxi: at si quis huiusce rei auidus hæc portenta indagare cupiat, Astrologos, famigeratos, & expertos

pertos petat, ex quibus cognoscere poterit, quamplurima, & ad mirationem digna; veluti attestantur ea, quæ tradita sunt de Pestilentia, ac mortalitate anni 1345. quæ totum ferè orbem occupauit, & adeò perennis, & notabilis fuit, vt nullus, talem vmq̃ stragem, antea perspexit: huius autem vniuersalis, & magnæ pestis causam Astrologi dixerunt fuisse coniunctionem magnã Trium superiorum Planetarum, hoc est Saturni, Iouis, & Martis, quæ accidit xxiiij. Martij illius anni in xix. gradu Aquarij; & quoniam hæc coniunctio fuit ex maximis, atq; in signo humano, talem hominibus stragem intulit, quę nulli alteri vmquã æquiparari poterit. Erit videndus insuper doctissimus, & laboriosissimus Ptolomeus, qui adeò eleganter, & exquisitè de ijs omnibus scripsit, vt nihil ei superaddi possit: Atq; obiter de cœlestium signorum indicijs hæc pauca sufficiant, ne limites artis Medicæ excedere videar, cùm mihi tamq̃ Medico occulta, ab Astronomis vero, potius petenda sint.

Signa ab Aere, Aqua, & Terra petenda. Cap. VI.

AB Aere autem signa hæc petuntur. Corruscationes, & ipsius aeris variæ alterationes, hoc est ad calidum, & ad humidum, ad obscurum, mox ad Diaphanum, Solis itidem, veluti per cœnosas nubes aspectus; vapores insuper ascendentes in figuram Piramidalem, necnon, & cadentium stellarum apparitiones, longissimas caudas, inflammatasq; relinquentes, quæ nocturno tempore sæpe conspiciuntur, hæc, & mali vapores à terra eleuati si diligenter obseruentur, proculdubio perniciosa præsagia, sæpe portendunt; ac cum non ita facilè, huiuscemodi vapores à superiori calore resoluantur; hinc est ꝙ pestilentiales morbos expectare oportet, eò magis si anni tempora propriam naturam non seruauerint, & consentanea, consentaneis, non responderint. Mali etiam vapores à putridis aquis; veluti lacunosis, & ab ijs, quæ eleuãtur à stagnis, & locis paludosis, quiq; aerem dẽsum, & caliginosum reddunt, eamdemmet perniciem præseferrunt.

Ex

Ex parte terræ verò portenta hæc ſeſe nobis offerunt;animalium ex putri materia naſcentium copia, quemadmodum Murium,Talparum,Ranarum, colorem luterum referrentium; locuſtarum virentes ſegetes comedentium;vermium,ac id genus ſubterraneorum;quorum egreſſu,mali vapores,ſolis virtute cōcurrente excitari cōſueuerunt,quinimò,cùm huiuſcemodi animalia propria loca deſerunt,hoc eſt ſubterranea,certum eſt,notabilem putredinem eſſe in viſceribus terræ, & iccircò, animalia hæc,vti naturali inſtinctu,talem,ac tantam putredinem aufugiunt: Fuit etiam ſæpenumero obſeruatum,ꝙ vbi in rationalibus, tum etiam brutis, monſtra contingant,ac illa præſertim ſuper terram multiplicentur,fediſſima hæc eſſe peſtilentiæ præſagia: Portendunt quoq; Armenta; oues,& capræ,ſi fœtus horum animalium diſperdantur,ac eorum quamplura moriantur quemadmodum,& Apes proprios alueos deſerentes,ſi commoriantur,id quod,& vafri Agricolæ ſæpe longo vſu cognouerūt.

Morbili inſuper,variolæ,Bellum,& fames,ſunt præuiæ diſpoſitiones quandoq; ad Peſtem,rebus enarratis,addunt nonnulli ventos,præſertim Auſtrales,& caliginoſos,necnon rores,miracula,& alia quamplurima,quæ cùm mihi curioſa potius, quàm neceſſaria videantur, conſulto præterire duxi.

Miracula tamen, vti verus Chriſti aſecla, vbi à veridicis, ac probis viris relata ſint,non inficias ibo; nàm in maximis peſtilentijs, & mortalitatibus præteritis, ſcriptores fideliſſimi referunt,ciuitates quamplurimas peſte,ac fame opprimendas,ſanctorum miraculis quamplurimis,necnō eorum apparitionibus, prius fuiſſe admonitas,Admonemur,& nos quoq; quotidie, nihilominus increduli in dies efficimur; Verū Tu pie IESV, qui es prima cauſa,& vera,oculis tuæ clementiæ nos aſpice, & à dira peſte, miſerimos mortales eripe: aperiq; tua benignitate labia ſerui tui,vt abundè ea mihi tradantur,quibus quiſq; à peſtilentibus febribus,ſibi præcauere poſſit.

De præseruatione per sex non naturales res. *Cap. VII.*

SApientis, ac prouidi viri munus est, ea diligenter excogitare instrumenta, ac præsidia, quibus aduersario, ac aius insidijs reluctari possit, cū opus fuerit: nam facilius, & promptius, se ipsum quisq; tuebitur, hostilibusq; iniurijs aduersabitur vbi inferrendam sibi vim, nouerit, quàm si nihil de hac re prorsus excogitauerit; vnde præuisa tela (vt aiunt) minus lędere solēt: Hanc igitur ob causam, cum voracissimæ febris pestilentis, ac malignæ insidijs, & agressibus occurrendū sit, de immunitateq; eius euitanda hic agendum sit, omnia in hac priori parte instrumenta describo: quibus febrem hanc, vti dirum hostem euitare, ac debellare poterimus; ac primo de sex rebus non naturalibus, mihi pertractandum est, ad alia, deinceps seriatim deuenire poterimus.

De Aere. *Cap. VIII.*

AB Aeris itaq; iniuria, cùm quis se tueri nouerit, ab omni febre pestilenti ferè semper seruabitur; nàm licet nostrū corpus, quamplurimis, ac vitiosis humoribus scateat, si probū, aerem, traxerint, beneq; perspicabile, reddetur, nunq̄ affici poterit, neq; humores accendentur in eo, aut corrūpentur, vt Galeno placuit, quod quidem non accidit, quando actus actiuorū concurrit, Quemadmodum colligitur ex his, quæ tradita sunt ab Aristotile 3. de anima, quæ quidem auctoritas, optimè corroboratur, ab eodemmet Gal. primo de differ. febr. c. 5. vbi manifestè concludit ad febris pestilentis generationem nō solum humores ipsos concurrere; verum etiam, occultam, ac malam aeris qualitatem; fugiendum igitur ab his, quæ putredine sua, & qualitate aeris mala; corpus infestant; atq; pestilentijs. illud obnoxiū reddunt, cuius naturæ sunt, putrida, fœtida, & male olentia loca, ex quibus praui, ac pestiferi vapores excitātur; alterantes, & corrumpentes aerem, nos ambientem.

De regimine aeris. Cap. IX.

VErum antequam ad aeris rectificationẽ accedamus, Cautum est, præcœteris domicilium commodum, liberum, beneq; situatum habere, iccircò, vt quisq; domũ amplam, nitidam, & ornatam, ac ab omni colluuie emundatam quotidiè si fieri potest, per famulos, elongatamq; à macellis, & coriorum, artificibus, ab omnibus lacunosis. Insuper padulosis, necnon aquis stantibus, ac demum ab omnibus putridis, ac sordidis locis, redolentem optimis odoribus sibi procuret confirmamus, ac si hortum, aut pomarium, vel viretũ aliquem locum, & apricum, eius domui associatum habuerit: erit maximum præsidiũ pro tuenda aeris pernicie; eò magisq; huiuscemodi loca, & domicilia, à viris prȩstantissimis laudantur, si constituta, ac situata fuerint in sublimioribus locis, ac ad Septemtrionem vergentibus; nec est audiendus Auenzoar, & Aueroes, qui planitiem, ac inferiora loca magis probant, quàm alta, & sublimiora, multo pluresq; in mõtibus, quam in vallibus mortuos esse asseruerãt; toto .n. cœlo hi aberrant, & eorum auctoritas ab omnibus ferè reijcitur; nàm cœteris paribus, licet aer sublimiorum locorum sit admodùm subtilis, ac liber, quascumq; impræssionesq; assumere aptus, & consequenter ab omni putrida aeris qualitate affici possit, vt ipsi attestantur, negari etiam non potest, quin comodius, ac facilius à cõuenientibus, terræ alitibus, & ab ijs, quȩ exterius adhibentur, aere ipso humili, & subterraneo, retificari possit: Quarè loca alta, cùm liberius perspirent, ac facilius à saluberimis ventis euententur, comodius etiam per ignem renouantur, quemadmodum consueuit Hipocr. tempore pestis in Athenis, non aliter etiam retificantur, & alterantur ab odoratis perfusionibus, suffumigijs, ac id genus alijs.

Mansionis aspectus ille summopere perpetuò fuit laudatus, qui ad septemtrionis partes vergit; vnde venti Boreales dicti, emergunt, aerem ipsum ab omni putredine, mundum, ac liberum, præstantes; tametsi Hippoc. aliter sentire videatur, in lib. de aere, aquis, & locis c.8. ibi .n. asseuerat hic medicinæ pater

„ Ciuitates, quæ quidem ad orientem Solem sitæ sunt, eas par est „ salubriores esse ijs, quæ Septentrionem conuersæ sunt: & ijs, „ quæ ad calidos ventos sitæ sunt, etiamsi stadium solum intersit. Quam quidem sentẽtiam, veram, & ad omnibus acceptam crediderim. cœterùm, cum ex subsequentibus, antecedentia, auctor ipse, nobis perspicuè aperiat, nihil ex his, quod repugnet priori sententiæ colligitur cùm ibi de salubribus morbis, ac de ijs, quæ in regionibus illis accidunt, apertè loquatur, quæ hic „ apponere per subsequentia placuit. Et hominum formæ, boni coloris sunt, & magis floridæ, si nõ quis alius morbus prohibeat „ & clara voce præditi sunt homines, & ad iram, ac intelligentiã „ præstantiores, Septemtrionalibus; siquidem, & alia, quæ in ipsa „ nascuntur, meliora existunt, & Ciuitas, quæ hoc modo sita est, „ veri maximè similis est. iuxta caliditatis, ac frigiditatis moderationem, & morbi pauciores fiunt, & debiliores, similesq; sunt „ morbis, qui in Ciuitatibus ad ventos calidos conuersis oriuntur, hactenus Hippocr.: Ex quibus patet, ꝙ Ciuitates ad Orientem conuersæ salubriores, ac minus aptæ sunt, ad procreandũ morbos, & vbi illos fieri contingat, imbecilles, ac per paucos admodum esse, pro quorum verborum sensu, ac genuina intelligentia, breuiter dicimus, ꝙ negare minime possumus, salubritatem Ciuitatum, & locorum, quorum situs ad Orientem Solẽ constituti sunt. ac etiam ꝙ morbi non sint salubriores, & breuiores, ob aeris illius salubritatem, & benignitatem, verum si ponamus aerem esse aliqua lue inficiendum, aut iàm infectum, vtiq; ille magis tunc temporis eligendus erit, qui aspectum ad Septemtrionem habuerit; quàm qui ad Orientem Solem; com modius .n. ac facilius à ventis Septemtrionalibus corrigitur, ac ad propriam naturam reducitur quam ad ipsis Orientalibus iuxta sententiam Almansoris. cap. de Pestilentia, & eius cautela. Aer ibi inquit, qui per fenestras vel aliter intromittitur, Septemtrionalis. vel Orientalis, eligatur: Ex quibus patet Septemtrionalem primum locum obtinere; secundũ verò Orientalem: Idem quoq; Auicenna voluit secunda primi doctrina secunda vbi expresse dicit ꝙ venti, qui ad prohibendum aeris

putre-

putrefationem, meliores Septemtrionales sunt, post Orietales, post eos verò Occidentales; his omnibus autem deteriores sũt meridionales, & idemmet loco citato, inquit. Si Septemtrionalium ventorum, aliqui flauerint, sint apertæ, & expositæ tuæ domus, fenestræ in die, vt possint euentari: sanatur enim hoc modo aer putridus, & pestilentialis: sed cur ego aerem putridũ sanare curo: cur loca alta, & euentata Septemtrioni, aut Orientali parti exposita peto: inferiora, ac subterranea fugio: vbi contagij inditia apparere incipiunt, cum his omnibus fidum consilium amici rescribentis ad alterum amicum præferrendũ sit, hoc est, fuge, cito, longè, tardè, reuertere. Medius fidius non est hucusq; inuenta cautela præstantior, neq; huic par, hoc .n. vnico præsidio, quisq; ab aere pestilenti, ac eius malitia preseruari poterit; Quemadmodum colligitur ex his quæ tradita sũt ab Almansore lib. 4. de cautela ægritudinum, ab vno loco, ad alium transeuntium. Cœterum, cùm non omnibus, vt fertur Adagio Datum sit ire Corintum, & quampluribus calibus cuilibet Romam proficisci datum sit; hanc enarratam cautelam diuitibus, ac potentibus, relinquemus, qui nullo itineris sumptusuè dispendio, cruciantur: cœteris verò tenuioris fortunæ, & pauperibus, qui ob eorum inopiam, aut impotentiã, vel quacumq; causa hæc adimplere non possunt, erunt in subsidium hæc relegata.

De rectificatione aeris. Cap. X.

SVpposita aeris putredine, ac eius mala qualitate, suppositisq; alijs de Regione domicilio, ac eius situ, deuenio ad aeris rectificationem.

Primo itaq; erit rectificandus aer, igne conuenienti, succensis præsertim lignis benè olentibus, in quorum numerum Auctores existimant obtinere primum locum, Laurum, Iuniperũ, Mirtum, Rosmarinum, Abietem, Cupressum, ac id genus alia, ex quibus potissimum dissipantur humiditates, & vapores aeris ac in naturam ignis approximati conuertuntur, & vbi ligna re-

dolentia haberi non possint, sumantur montuosa, sicca, & bona fumum non procreantia, cuius modi sunt ligna fagorũ, & quercuum, quibus Hippocr. in sedanda peste circumcirca Athenas lignis quippè ipsis succensis per plurimas noctes vsus fuit, qua sedata tamq̃ Deum illum coluerunt, vt legitur de morbis, & vita Philosophorum.

Erit moderandus ignis pro magnitudine caloris, aut frigoris acris hoc est iuxta aeris formam, ac constitutionem, & prout videbitur, horum optimo speculatori; neque approximatio ad ignem ab aliquibus laudatur; nisi cogamur ab esterno aere frigido, cum per ignis approximationem aperiantur potissimum nostri corporis meatus, acuanturq; humores, & facilior transitus corrupti aeris per couenientes porositates efficiatur, ꝙ si ab aere frigido externo confortandi caloris innati gratia accedere ad ignem cogamur, vimineum instrumentum, aut ligneum ob oculos ponere, aut igni terga dare, conueniens erit, hoc .n. pacto calor innatus minus imbecilitatur, & à vertigine, aut scotomia securiores efficimur; Vnum verò tradendum est memoriæ, vt loca stufata, choreæ, luxus laboriosi, & hominum congregati cœtus, quantum fieri poterit vitentur.

Poterit insuper emendari aer suæ domus, aut Talami si opportunum videbitur, rebus odoratis, proportione aeris qualitatibus; necnon anni temporibus, respondentibus; nam æstiuis temporibus aliqua magis laudantur, quæ hibernali tempore non æquè benè conueniunt, & è conuerso.

A Estiuo itaq; tempore propriam naturam seruante, hæc conueniunt: Acetum rosaceum, Aqua ex purpureis rosis, floribus mirti, citrorum, & malorum aureorum, Aqua namphæ appellata, quibus addere consueuimus Sandalorum, pulueres, ligni aloes, ciperi, necnon, & pulueres trociscorum de camphora; ex quibus omnibus fieri possunt super pauimento bene mundato, necnon circumcirca parietes cameræ in rorationes. His porrò calefactis in vase idoneo argenteo, vel lapideo, adito Gariophilorum puluere, præstantissimũ suffumigium componitur, quod nimirum alia antecellere creditur, & ego sæpe nobilibus, ac Illustrioribus

ſtrioribus viris,qui ambram, moſcũ,& alia aromata valde odorata abhorrere conſueuerunt,ſuffumigia,ex aqua roſacea, aceto accerrimo,& Gariophilorum puluere paraui: Ex quibus maximum ſolamen percipere, validioribus, & hilarioribus ſpiritibus nempè exuſcitatis; hij omnes fatebantur, nàm vt optimè Auicenna dicebat de viribus cordis, Nulla res magis inimica caloris innati eſt,q̃ malus fętor,& iccircò ſicut fetens odor ſpiritus alterat,& corrũpit,ita bonus viuificat, & reſtaurat, & Meſue de conſolatione medicinarum,odor bonus animam dilatãdo,ſpiritus,& virtutes reparat,virtutum mineras confortans.

Neq; quis ambigere debet ſi calida frigidis, æſtuanti aere commiſceantur, adeò.n. modica ſunt, vt facilè à frigidorum virtute exuperentur,& refragentur, atq; ex horum commiſtione maior penetratio ad fontem innati caloris datur.

Elegantiſſimi etiam paſtili,& Trociſci habentur, qui in hunc modum parantur. Deſumunt autem ligni Aloes,Ciperi, Sandalorum rub. & citrinorum Ia. ℥. iij. florum lambruſcæ, florum nenupharis, roſarum rub. foliorũ meliſſæ. Corticum citri. Ia.℥. ij.Tro.de camphora ℥. j. Carabæ.℥. ß. Exiccatis omnibus,ac leuiter puluerizatis componantur Trociſci, ſeu Paſtilli in bona forma,cum aqua roſacea,& modico glutinæ gummi Arabici,& cùm volueris cameram, vel alium locum ſuffumigare, ponatur vnus ex prædictis paſtillis ſuper prunis, & ibi paulatim ardere permittatur.

Hieme verò properante, & ſuam conſtitutionem, ac naturã ſeruante calidis ſuffumigijs, & odoratis erit aer alterandus; In quorum vſum parantur hæc.

Capiantur Laudani optimi, Belzuini, Styracis calamitæ Ia. ℥. ß. ligni aloes, Galliæ moſcatæ Meſue. Ia.℥. ij. corticum citri, miliſſæ, roſarum rub. Ia. ℥. iij. omnibus craſſo modo puluerizatis,fiant Trociſci ex arte,quibus congruo tempore, & vtſupra, vtere. Ac vt præſtantiores reddantur, poterit quiſq; pro eius facultate, & oblectamento ad libitum ſuæ voluntaris addere Moſchi orientalis,& Ambræ, quantitatem quam voluerit, ac prout cuiuslibet temperamentum expoſtulauerit,cum illorum

na tura,

natura, qui sunt frigidi temperamenti à calidis iuuentur, qui verò calidi sunt ab ipsis lædantur; parantur etiam communiter ex hac descriptione nõnulli pastilli, quos ciprinos vsuletos vulgus vocare consueuit, qui, & ipsi non minori præstantia præditi censentur. Recipiunt Laudani puri, Mirrhæ, Thuris, Masticis, Styracis calamitæ, la. 3. j. ciperi rosarum rubearum, sampsuci, la. 3. iij. cinamomi, gariophilorum, sandali, spicæ maccis la. 3. iij. carbonum, corticis salicis sesquilibram, incorporẽtur omnia simul mucilaginæ gummi Arabici dissoluti in aqua rosacea, fiant formulæ longæ, & tenues, ac si redolentes magis reddere volueris dictos pastillos erit addendum, Moschi, & Ambræ quantum tibi placuerit, quorum loco erit ponenda camphora, si æstiuum tempus fuerit. Hæc, & alia istius farinæ possunt inseruire diuitibus, ac delitiosis hominibus, quæ moderari possunt iuxta anni tempora aeris constitutiones: qualitatum excessum, Regionẽ, necnon secundum vniuscuiusq; temperamentum, ætatem, & sexum, ac si quis pro pauperibus institerit, poterit ex his, vel similibus aliqua componere, quæ modico sumptu ipsis conducere valeant, & hæc de aeris regimine breuiter hic præclusa sint.

De cibo, & potu. Cap. XI.

QVantum ad morbos procreandos cum habeant mali, & vitiosi suci, qui ex praua æduliorum qualitate generantur; nemo adeò parum mentis compos, qui in hac temporum calamitate, hoc non nouerit, in qua tot pestilentes febres, ac malignas excitatas vidimus, vt hoc vnico morbi genere ferè totus orbis infectus esse videatur: nàm cum pauperes, herbis, germinibus fruticum extremis, stirpium radicibus, bulbis, & glandibus vti, pro corũ esca, & ferculis coacti fuerint: Diuites quoq; auri congerendi gratia paulò minus prauo eduliorum genere, & ipsi nutriti fuerint; hinc est ꝙ iamdiù huiusce generis febres, necnon quamplures alios detestandos morbos vagari perspeximus; Quæ quidem omnia optimè animaduertit Galenus in lib. de bono, & malo suco, circa initia. Qui nam verò boni suci

eligendi

eligendi cibi, ex quibus nostri corporis robur seruatur, & nosmet incolumes efficimur, per subsequentia docere, molestum minimè nobis erit; sed antequam de ijs agamus, erunt hæc, à nobis prænotanda, præstantissimorum virorum monumentis quandoq; tradita.

Præmissis consuetis exercitijs, congruo tempore peractis, exinanitaq; de more Aluo, cum quis prandium, aut cenam assumpturus est quicquam minimè degustare saluberrimum erit, nisi propria, ac naturali appetentia prius excitetur: nàm cum benè appetere certo tempore, & hora sanus quisq; consueuerit, certum est ꝙ si ab hoc munere, ipse defecerit, innatum calorem à prioribus alimentis, aut ab excrementis, esse occupatum, quo in casu, procurandum erit, vt benè prius concoquantur alimenta vel, exinaniantur excrementa; probè autem concoqui poterũt assumpta, per ea, quæ robur ipsi stomaco interius, tùm exterius adhibentur. Laudantur autem inter alia, Diatrion, Piperon, Diaspoliticon, Galeni, Aromaticum, Gabrielis, Diagariophilatumq;.

Hæc autem assumuntur per horam ante cibum in formam solidam ad quantitatem ℨ. ij. pro singula vice, consueuerunt, nonnulli grana piperis tria abscisa deglutire, quemadmodum Alexandro placuit: Alij verò haustum aquæ vitæ ebibunt; Hęc siquidem calorem innatum ad augere censentur, ventriculoq; imbeciliori robur præstant; absq; Iecinoris lesione, superuacaneosq; humores in ipso ventriculo detentos, conterrunt, & appetentiam mirum immodum excitant; exterius verò fęliciter adhibentur oleum melinum, nardinum, masticinum, ac de absinthite, leuiter tamen debent, hæ inunctiones ex calefieri, cum ex sentia Galeni calfacere præcordia cataplasmatis, aut perfusionibus non sit perpetuò tutum, nisi in his, in quibus nullum redundat superfluum, cœteris, q; omnibus sit extrema pernicies quod si nullo medicamentorum genere, vti placuerit, erit prandium, & cęna remoranda, donec à virtute caloris optima concoctio celebrata fuerit, ac si Aluus sponte non satis respondere videbitur, Clysteri, aut Balano ad libitum præmisso, erit ducenda.

da. Non minus etiã prodesse creditur, si in prima mensa edantur passulæ, pruna Damascena, necnon, & aridæ ficus, Quorum vsu, Aluum promoueri, ac lubricari, iam satis notum est. His in hunc modum præmissis, cibi erunt eligendi, non multi, non varij, neq; praui suci; sed pauci, & eiusdem generis, si id fieri poterit, à quibus virtus, non opprimatur, sed potius instauretur, & refocilletur, à multitudina .n. ac varietate ciborum, morbi potissimum excitantur, vt placuit Galeno lib. de differ. morb. Quã sententiam, sequutus est Princeps 3. primi doctr. 2. cap. 7. Vitandum summopere est, ne quis auidè nimis edat, ac si defatigatus itinere, labore, vel aliquo immoderato exercitio extiterit nõ discumbat priusq; animo acquiescat, aut vires resumat; alimentis postmodum boni chimi, & facilis concoctionis, & putredini obluctãtibus parcius quam in alio tempore reficiatur; abstineat omnino à corruptibilibus, & virtutem agrauantibus, ac si vitari poterunt, ea quæ sub infecto aere nata sunt; necnon animalia educata in Regionibus contagiosis, erit sano iudicio, beneq; excogitatum, cautela, hæc .n. perniciosa ferè semper existimata fuere, vndè obnoxij pestilentibus morbis potissimum efficimur, quemadmodum attestatur Princeps 2. fen. primi canon. doctr. 2. cauendum insuper ab inedia, & siti intensa, absumitur namq; innati caloris copia, & cogimur ad maiorem inspirationem, & consequenter ad maiorem aeris impuri attractionem; Quare humores in corde, ac partibus vicinioribus redundantes inficiuntur, & febres malignas, ac pestilentes excitari contingit.

Alimenta, quæ magis competunt, & à nobis deligenda erũt, hic paucis describam; initium sumens à pane tamquàm magis necessario, ac communiori alimento.

De pane. Cap. XII.

Panis itaq; clibanites, similagineus, nitida aqua, & pura, modico saleq; confectus, erit eligendus, probè fermentatus, & moderatè coctus, & vbi astricta Aluus sit, aut non ita

facile

facile suaptè natura respondeat, à furfure immundum omnino non aspernerem, habet .n. furfur cum aliquam abstergentem, qua leniter Aluus promoueri solet; Hæc siquidem erunt moderanda iuxta temporis constitutionem, & peculiarem alicuius naturam, aut temperamentum, & vbi ob inopiam, aut magnam penuriam triticum deficeret: panis ex ordeacea farina, si modo haberi poterit sit Vicarius, eò magis cùm calida aeris constitutio, & calidum, aut biliosum temperamentum hominis institerit, ꝙ si nocumentum forte, ex huius panis natura, ad frigidum tendente, pertimescamus, huic feniculi semina sale admista proderunt; Non desunt alij, quamplurimi accerrimi ingenij, qui panem ex Zea, quam vulgus speltã vocat, summopere laudarunt, si modo à cortice munda sit farina, ac rectè à pistoribus purgata; hic .n. panis ob eius leuitatem facilimè concoquitur; omnibusq; cerealibus præferri ob eius bonitatem meretur; Ori siquidem, ac palatoq; gratissimum saporem præstat; & totius corporis alimentum est præstantissimum, vt fidem facit Dioscorides lib. 2. c. 99. Inquiens Alicam, quæ ex Zea conficitur, longè magis alimentum corporibus nostris præstare hordeo ipso: hoc idem confirmauit Plin. lib. 18. c. 8.

Qui verò ex condro, aut grano Indico, Meiz hodie appellato, non per inopiam, aut Tritici defectum, panem sibi parari student, ij mihi curiosi, & consilio destituti potius videntur, quàm saluti consulentes: stultum .n. est, vt vnico verbo rem perstringam, hunc, vel illum panem triticeo panè præferre: obsoleuit nàmq; vulgi Adagium: Ne super triticeum panem, alium panem quesieris: cum istud nil aliud sit, quàm Lunam in Puteo piscari; lippisq; & tonsoribus iam satis notum sit. Et ideò hæc de pane hactenus sufficiant, cùm ad obsonia accedere tempestiuum sit.

De obsonijs. *Cap. XIII.*

COpiosè, & multifariam hac nostra ætate, parare obsonia omnes ferè student, quibus nostrum palatum delectari

possit, adeò .n. aucta est eduliorum copia, apud omnes nationes vt quæ interpolatis vicibus epulæ homines oblectare consueuerunt hæc vnica mensa ferè non sufficiant, Nouit autem hoc Galenus sua tempestate, vt videre est lib. 6. Aphor. com. 28. ibi .n. deplorat præteritam sobrietatem, & frugalitatem, nàm cum ex his quę ab Hippocr. tradita sunt in Aphor. illo, colligatur, Eunucos podagra non laborasse ob eorum sobrietatem. Iure merito retorquetur illa aphoristica sententia ab eodemmet Galeno ob auctam eduliorum copiam; quinimo mulieres, & pueros, ob plenitudinem; articulorum morbis laborasse, liquidò attestatur 19. & 20. sect. dicti libri. Vnde non mirùm alicui videbitur, si hac nostra tempestate longè maior obsoniorum ratio aucta est, in qua homines diuitiores, ac delitiosiores reperiuntur; Temporis itaq; vetustate iàm omnis vsus peruersus, vnde Poeta.

Omnia peruertit secli mutabilis ordo.

Verum cum non expediat exquisitè de obsonijs doctrinam tradere, neq; prolixum sermonem de his facere; sed potius aliquam normam, ad quam omnia alia examinentur; ad ea vti bonus Quoquus, qui & à Galeno desideratur, breuiter, & quàm accuratè me accingo.

Obsonia itaq;, quæ in casu nostro, competere magis videntur, boni chymi præcipuè, & facilis concoctionis esse debent; vitentur corruptibilia, & eligantur putredini resistentia; hæc autem moderatè, & congruo tempore assumantur, ne intempestiuè assumpta, & multitudine grauata natura, prauæ concoctiones, & vitiosæ generētur, & exindè obstructiones, & putredines; Præcœteris autem commendantur, ex cicuribus animalibus, carnes pulorum, præsertim iuuenum. Vituli lactentis, ædi castrati, iunioris, aliquando porci, ac præsertim saliti licet raró huius carnis vsus conueniat, ex siluestribus, ac ferinis primum locum obtinent, leporum, & cuniculorum iuuenum, aprorum, capreolorumq; carnes: Ex volatilibus verò, perdicum, starnarum, fasianorum, turdorum, necnon omnium montanarum auium, & indumis degentium, Quarum quidem alimentum præstantissimum ab omnibus procul dubio creditur, cum prorsus excrementis careat. Quod

Quod attinet ad harum carnium præparationem, habenda ratio vtiq; erit ad temperamentum,ætatem,consuetudinem,regionem,aerem,necnon anni tempus:si.n. calidum tempus,temperamentum, &alia permiserint enarrata, à nobis, elixata potius quàm assata conuenient: Sin minus,assata magis quàm elixata laudantur: Consuetudo verò his omnibus præualet,quæ, & altera natura à Sapientibus habetur,vt fidem faciũt ea, quæ tradita sunt à Gal.7.de sanita. tuen.cap.5. Verùm quoniam auctore eodemmet Galeno Medicum esse optimum Quoquum oportet,vt aliqua in parte Nobilibus,ac delitiosis viris à nobis satisfiat,nonnulla condimenta inserere ijs nostris obsonijs placuit,quæ pro temporis varietate; necnon personarum differentia inseruire poterunt; hæc autem non pro lectãdi palati gratia à nobis solum tradita sunt,sed vt libentius, ac auidius ea à stomaco amplectentur. Qua quidem ex re,concoctiones præstantiores fiunt, & celebrantur, quemadmodum placuit Hippocr. Aph. lib.2. sect.38. paulò .n. inquit deterior cibus,& potus,verùm suauior, melioribus, & in suauioribus est præferrendus: Quàm accuratè autem componant Epulas, Coqui moderniores ex carnibus cicurum,& siluestrium animalium,piscibus maritimis,saxalitibus,ac dulcioribus aquis degentibus,quàm varia fercula intritamenta,pastitia,cõdimenta,galana,saporesq; conficere studeant, omnibus iàm compertum esse crediderim; non .n. hæc ætas paucis contencta acquiescit, vt paulò ante dicebam: Quinimò in dies magis vario nundum satis epularum genere expleta,varia eduliorum inuenta perquirens, ventri, & gulæ indulget;vndè si à Galeno Medicus in hac parte nõ ignarus desideratur: præstantissimus;hodie nedùm apud Principes, verum etiam apud nobiles,diuites, & vulgares homines habetur,isq; summis honoribus,ac vsq; ad sydera fertur,qui eduliorum aliquem recentiorem vsum adinuenisse creditur: Ego verò, & si inuitus in hac re me exercuerim, dùm Illustrissimis, & Clarissimis viris inseruiui: non longè tamen à communi eduliorum vsu discedam,nè Coquum magis,quàm Medicum agere videar. Popinonibusq; & perditis hominibus sim incitamento

mento ad libidinem. Si quis autem obsoniorum embammatum, ac saporum varias compositiones desiderauerit, petat auctores recentiores, qui integra volumina de componendis epulis ediderunt: ibi.n. deprehendet copiosissimam eduliorum siluam, poteritq; pro suę voluntatis libito eligere vtrum voluerit.

Pultes, quæ communi vsu hodie habentur, ex condro, oriza, milio, vel panico depilato, iuribus pulorum, vituli, ædi castrati, ac id genus animalium iuniorum parantur: non erit etiam ingrati saporis Amilum, Similagineum, Amigdalarum lacte paratum, & pulueribus sacari, ac cinamomi aspersum; commendantur insuper carnis vitulinæ intritamenta, vitelis, ouorum, passulis, garo, & agresta concinata, quæ autem magis vsitantur properante hyeme, sunt carnes porcinæ, veruecinæ, ac vitulinę; quæ nedum sale, & varijs aromatibus, verum etiam radicibus seminibus calidis, & herbis parantur: hac.n. ratione, excrementosa humiditas, qua huiuscemodi carnes abundant, absumitur, & frigidæ, ac humidæ aeris intemperiei magis aduersantur.

De saporibus, & embammantibus. Cap. XIIII.

EMbammata, quæ magis conueniunt hoc tempore parantur ex sinapi, aut ex garro, & aceto, nonnulli verò vtuntur & præsertim Longobardi embammate, quod conficitur ex mele purissimo, narantiorumq; corticibus, aromatibus, & orientali Mosco; hoc.n. est meo iudicio suauissimum, & præstantissimū; licet nonnulli amigdalato magis prolectentur, cōficitur autem ex depilatis amigdalis, seminibus feniculi, seù maius Oreoselino, aut modica portione panis Aromatarij, vulgò spongata appellata, addito iure puli, aceto, aut accido limonum, cui si placuerit, loco panis Aromatarij iniungere poterimus albissimi sacari puluerem; necnon cinamomi, aut croci portionem, hæc, & alia id genus frigida aeris constitutione nos ambiente conueniunt. æstuante verò aere oportunum erit vti suco agrestæ oxalidis, accido citri, vel limonum, & aceto non valde acri, ex quibus sapores addita panis medula, & amigdalis: optimè conficiuntur

ciuntur, ac si regium saporem, sanis perindè, ac ægris saluberrimum componere libuerit, erunt sumendæ aceti optimi portiones tres, addita pulueris sacari albissimi portione singula; præmissaq; conuenienti ebulitione, addantur cinamomi frustula, aut florum gariophilorum, prout vnicuiq; libuerit, aut expedierit, & erit sapor iucūdissimus, ac suauis, qui in Aulis frequenter paratur, & eo Principes præcipuè vtuntur, assatis, tum alixatis auium, & pulorum carnibus, componunt alij magis curiosi, viridem quemdam saporem admixtum nedum calidis, verum etiam frigidis herbis, aut earum sucis: contundunt .n. optimè amigdalas depilatas, & aliquantis per assatas, quibus superaddunt Basiliconis, Menthæ, vel Sampsuci; non nihil addita maiori portione foliorum acetosæ, necnon cinamomi porciuncula, aut alicuius pulueris, qui nedum gustui placeat, verum etiam malignitati aeris aduersari possit; veluti puluis, qui ex præparatis Margheritis, fragmentis cordialibus, auro, vnicornu, tormētila, cinamomo, ac id genus alijs paratur, quibus sanè commistis, ac refractis, fit saluberrima commistio.

Hæc sunt, quæ de condimentis apponere nobis visa sunt, vt Medicinæ Tirones, iuxta horum formulam, & pro varietate tēporis, ætatis, temperamenti, & constitutionis aeris, aut prout cu iusuis gustus ad illa magis aptari poterit, componere ea discāt.

De oleribus. Cap. XV.

INter olera, primum locum obtinent, Borago, Atriplex, Oreoselinum, Blitis alba, & Mentha, Ad hæc lactuca, cicorea, endiuia, & acetosa, præsertim si tempus æstiuum fuerit; vitentur omnia legumina (lentibus excoriatis demptis) quæ iuxta communem vsum, bis decoquuntur, atq; earum vsus prodesse saluti creditur: Non aufertur omnino cicerum rubeorum vsus; horū verò ius, mentha, aut sampsuco paratum, magis laudabile videtur, eius enim ius est, obstructiones adimere, sudores, ac vrinas promouere, abstergit etiam crassos humores, ac rebelles: vndè rationales Medici scammoniato exhibito pharmaco sacari ru-

bei

bei pulueribus concinatum illud congruo tempore ægrotantibus, propinare consueuerunt. Hæc sunt, quæ apud omnes ferè vulgares communi vsu habentur, si verò elegantiora fercula, quis desiderauerit, non desunt homines, qui lautissimas epulas componere nouerunt; inter quas, pasticia, stufatę carnes, nec non alba fercula, & alia quamplurima connumerantur; quæq; apud Principes potius, ac diuitiores desiderantur, quàm apud vulgares homines, & Idiotus: Vnum tamen memoria repetere oportet, vt pinguia, quàm accuratè vitentur, hæc. n. perniciosa admodum sunt, stomacum relaxant, & concoctionem ipsius impediunt.

De Piscibus. *Cap. XVI.*

AD Piscium obsonium accedentes, nonnullę horum differentiæ erunt à nobis in genere prius tradendæ; considerantur namq; pisces recentes, aut saliti, saxatiles, & dulcibus aquis degentes, aut Maritimi, vel fluuiatiles, parui, vel magni: pingues, vel macri, assati vel elixati: hæc quidem omnia, quàm accuratè essent à nobis examinanda; verum quoniam extant integra volumina de Piscium generibus, ac eorum differentijs; breuibus istud negotium perstringam; remittendo lectorem ad Petrum Belonium Cenomanum, & Gulielmum Rondoletium, qui exquisitè de aquatilibus tractauerunt. Pisces omnes saliti ammoueantur ab hac nostra victus ratione, quia mali suci sunt & prauum alimentum præstant, præter Haleculam, quæ prolectandæ appetentiæ gratia non inconuenit; humores superuacaneosq; in stomaco detentos, suaptè natura conterrit; vndè conualescentes cibum non assumentes, Haleculæ esu, sæpissimè, & non parum iuuati fuere: Inter maritimos, laudantur pisces recentes, non admodum pingues, neque dura carne prędíti: Omne conchilium genus vti exitiosum, & concoctioni renitens, vitandum est; eligantur verò ex omni piscium genere, Rombus, Passer, Dorata, Solea, Mulus, seù Trilia, cuius caro iucunda est præbens alimentum hominum naturæ consentaneum, voluptateq;

teq; omnes ferè alios pisces exuperans,& copiosius,ac præstantius omnibus alijs piscibus nutriens, quemadmodum Galeno placuit, Neque minori laude efferendus est lupus, cum ab eodemmet Galeno de simpl.medicam.facult. Perdicibus ęquiparetur, Omnes Pelagij, & squammosi Pisces, præstant cœteris piscibus; nedum saporis iucunditate, verum etiam, ob eorum celebratam, ac salubrem naturam. Differentiæ verò Piscium in fluminibus,lacubus,stagnis,ac alijs dulcioribus aquis degentium, variæ, & quàmplures ab auctoribus traditæ sunt, quas quidem hic consultò præterire duxi; ne diutius quàm opus sit, tempus in hac re à nobis conteratur; vnum tamen hoc non ommittam,quod saluti non parum,conducit & neminem prætererire,vt præcœteris eligantur Pisces fluminum,atq; in locis saxatilibus degentium; remoueanturq; quatenus fieri possit, ab omni victus ratione salubri hij,qui in aquis padulosis,immobilibus,& iuxta cloacas,ac fętida loca, currentibus reperiuntur, abundant .n. quamplurimis excrementis, & vitiosum alimentum corpori præstant.

Inter fluuiatiles,& saxatiles pisces, coronanda est torentina, præsertim quæ in flumine macræ, ac alijs fluminibus ibi contiguis alitur; lauctum sanè est hoc piscium genus, & salubre à Principibus haud quaquam spernendũ,nec vbi vmq̃ adeò suaue,& gratum palato, id ego inueni, quiq; illud prægustauit; fidum testem se ipsum præstare potest;non longè tamen ab ijs distare videntur carpiones,lucij,sturiones,ac id genus alia,degentia,nedum in magno flumine Eridani,verum etiam in celebratissimo lacu Benaco,& lario,atq; hæc de piscibus sufficiant, cũ sermo noster ad oua,& lacticinia digendus sit.

De Ouis. Cap. XVII.

OVorum quoq; alimentum,quod & inter obsonia enarrata communiter reponitur, hic fusius pertractare non est necessarium;nisi quatenus secundum eorum substantiam,tempus nec non cocturæ rationem, hoc ipsum distinguere nobis expe-

dierit, nàm secundum eorum substantiam, gallinarum, fasianorumq; & perdicum oua, præstantiora omnibus alijs esse credun tur. Deteriora verò Anxerum, Anatrum, Pauonũ, & Struthio Camelorum quæ verò breui tempore, & recenter edita sunt, cœteris præstare: proculdubio omnes fatentur, quemadmodum Sorbilia, Tremula, & quæ suffocata appellantur; diutius .n. coctis, atq; in satagine assatis, longe magis præferuntur, veluti optime istud à Galeno demonstratum fuit 3. de aliment. facult. c. 25. Oua igitur recentia optimi suci sunt, veteribusq; plurimum præstare, omnibus iàm compertum esse existimo; Quæ verò in horum medio cõstituta sunt, bonitate, & prauitate, inter se differunt, quantum vnum quodq; medium proportione ab extremis suis recedit, plurimum autem alimenti, & optimum sucum nostris corporibus præstare oua, quippè omnes fatentur; facilimè etiam eorum substantia concoquitur, distribuitur, & in sanguinem cordi consentaneum conuertitur; Quare pueris, senibusq; ac imbecillibus maximè congruunt, & præsertim eorum vitelli; Quemadmodum à Principe lib. de viribus cordis confirmatum fuit, ex cuius quidem sententia colligitur, oua mediocri temperatura, esse constituta, atq; in virium dissolutione, nullum ferè vmq̃ alimentum inueniri posse, ꝙ præstantius, ac otius ipsi cordi subuenire possit, quodq; in sanguinem magis spirituosum, & cordi aptum facilius conuertatur, meritò itaq; cœteris alimentis oua præferuntur; quemadmodum Auicenna voluit, & eius sequaces, eiusq; sententiæ omnes ferè alij doctissimi viri cõmuniter fuerunt, & hæc ad mentem Galeni, & eius fidelissimi interpratis Auicennæ, sufficiant de ouis.

De caseo, & alijs lacticinijs. Cap. XVIII.

LActiciniorum vsus, tametsi obesse quamplurimis censeatur qui corporis langoribus subiacent, non tamen omnino aspernendus est, præsertim ab illis, qui inculpatæ valetudinis sunt, hij siquidem ex frequenti vsu boni, odoratiq; casei, necnõ lactis, seri, & butiri, nedum molestia quapiam afficiuntur; verũ etiam

etiam apprime nutriuntur, iuuantur, impinguantur, & robore non modico seruantur; cuius rei fidem faciunt, ea quæ tradita sunt in lib. de bona valetudine cõseruanda, Ad Regem Angliç; ibi .n. scola salernitana caseum conquerentem de ignaris medicis insigniuit his carminibus.

Ignari Medici me dicunt esse nociuum,
Et tamen ignorant cur nocumenta feram:
Expertis reor esse ratum, qua commoditate
Languenti stomacò caseus adit opem:
Caseus ante cibum confert, si defluat Aluus,
Si constipetur terminet ille dapes;
Qui phisicèn non ignorant hæc testificantur.

NOn ità facilè igitur aduersus caseum ignari Medici insurgant, aut eius vsum detestentur, cum hæc sententia confirmari possit ex Hyppocr. in lib. de veteri medicina, inquit autem ibi Hyppoc. At qui mihi necessarium esse videtur, vt omnis Medicus de natura sciat, & omni studio annitatur, vt cognoscat, si modo aliquid eorum, quæ fieri debent, rectè præstare velit, Quid est homo ad ea, quç comeduntur, & bibuntur, cõparatus, & quid cuiq; ab vnoquoq; cõtinget, ac accidet; & non simpliciter sic existimare, ꝙ malum edulium est caseus; dolorem .n. affert repleto ex ipso; sed quem dolorem, & propter quid, & cui parti intra hominem existenti incomodum existit, nam, & alia multa edulia, ac pocula, natura mala sunt, & afficiunt hominẽ non eodem modo. Proferatur autẽ mihi, verbi causa aliquid, » veluti vinum meratum, multum potum, hominem aliquo mo- » do debilem reddit, & omnes qui viderunt hoc, fatentur, & co- » gnoscunt ꝙ hæc est ius vini, & ipsum est causa, & in quas opti- » mæ partes in homine maximè possit, nouimus. talem itaq; ve- » ritatem etiam de alijs ostendere nolo, etenim caseus, quando- » quidem, hunc in exemplum sumpsi, non omnes homines ledit; » sed sunt qui ex ipso repleti, ne tantillum quidem offenduntur, » imò gracilibus mirabiliter cõferre proditur, hactenus Hippoc. »
sed iterum insurget aduersarius, inquiens, Hippocratem, & Galenum ægre de lacte, & caseo sensisse, nàm Hippoc. lib. de victus

ratione, in morbis acutis Aphor. 92. lac grauare os vētris ostendit, corrumpiturq; & alia secum corrumpit, Itidem Galenus lib. 3. de loc. affect. c. 6. stomaco perniciosum esse voluit; vnde caseus est nequàm, quia concoquit omnia se quàm: plura de caseo prodita sunt ab eodemmet Galeno lib. 3. cap. 16. de alimēt. facult. & lib. 10. cap. 9. de simpl. Medic. facult. & in lib. de cibis, boni, & mali suci. c. 6. quæ si diligenter attendantur, non ita facile de caseo proferendum erit, ex ijsdemmet fontibus, etiam lac caput grauare, & in stomaco corrumpi, ac in nidorem verti, & sic quamplurima incomoda, & detrimenta inferre; quis forsitan collegisse se affirmabit; verum hæc omnia, si adamusim intelligantur, & sano iudicio interprætentur, dubio procul, ex lacte, tùm ex caseo, longè maiora commoda, & iuuamenta depræhendi poterunt, quàm nocumenta, vel incommoda, nàm ibi Hippoc. & Galenus non simpliciter de lacte, & caseo malè sentiunt; sed quatenus ijs quisq; abutatur, vel potius loquuntur in personis imbecilibus, & occasionatis; non autem in corporibus sanis, & benè complexionatis, cuius rei fidem faciunt ea, quæ tradita sunt ab eodemmet Galeno lib. 5. Aphor. sect. 64. commune autem inquit in omnibus, qui lactè, indigent, quod cibus bonum generans sucum, & qui cito per venas distribuitur illis est necessarius, &c. Hijs etenim benè concoctum multum nutrimenti præstat, probum sucum generat, bonam carnem, longè meliorem reddit, & corpus conuenienter humettat; corporibus verò distemperatis infestum, atq; inimicum est lac; in calidioribus cito in nidorem, atq; bilem; in frigidioribus vero in acciditatem, & putredinem commutatur; Non parum etiam quippè refert si ad animalia specie, etateq; differentia, & ad pabula ipsa, rationem habuerimus, bonū nàmq; lac crassissimum, atq; pinguissimum, licet concoctu difficile; quamobrem in flatum facile vertitur, venarumq; obstructioni noxium est; Liquidissimum autem, ac minimè pingue, camelorum mox equarum, & Asinarum: mediæ autem consistentiæ est Caprarum, hoc crassius, ouium. Lac igitur Caprarum, cùm inter cœtera lactis genera medium obtineat, non pingue, nequè crassum, meritò in vi-

ctus

ctus salubris ratione præferrendum est; neq; ab hoc victus genere riscendendum videtur, lac ouium bonis pabulis præsertim degentium. Tempus magis opportunum humanæ naturę ad sumendum lac, æstiuum ab omnibus censetur; nempè à medio Veris, vsq; ad Aestatis dimidium; post illud tempus .n. paulatim crascescit, & stomaci temperiem lœdit. Eligendum est lac caprarum, seù ouium non multo post enixarum; prægnantiũ nàmq; est omnino vitandum: capiatur in prima mensa, idq; cũ mele, aut sacari puluere, quemadmodum placuit Galeno ꝙ si illud otius, ac facilius ad intestina descendere peroptaueris, sale erit concinandum, ac si alterum, ex his negligentia spræueris, metus est, ne in stomaco facillimè coaguletur: vnde stomaci aggrauamenta, dolores, & strangulationes postmodum accidunt. Abstineant à lactis vsu febricitantes, scotomiæ, & capitis doloribus subiacentes, quiq; superuacaneis, & vitiosis humoribus in stomaco abundant, iuxta illud Hippocratis, lac dare febricitantibus, & caput dolentibus malum, &c. ac si fieri poterit ab absumpto lacte, abstineat quisq; à cibo duarũ, vel trium horarum spatio.

Quod spectat vero ad caseum, erit eligendus caseus ouinus purus, vel saltem caprino lacte commixtus: componitur .n. vt plurimum huiuscemodi caseus in locis montuosis, & est boni, atque iucundi saporis, saluberrimum alimentum corpori præstans, neque etiam vacinus omnino spernendus, si modo ex iunioribus animalibus, atq; optimis pabulis educatis conficiatur parum salitus, ad dulcedinem potius, quàm ad salsedinem declinans, inter recentem, & veterem mediocris: is enim est omnium præstantissimus, optimum alimentum præstans, sanaq; corpora impinguans.

De Butirro. Cap. XIX.

BVtirri quoq; vsus, adeò frequens est apud omnes, vt eo non solum in ferculis, verum etiam pro medela quamplurium morborũ hodie, non absq; euidenti vtilitate vtamur, sua quippè

pè temperata qualitate,& pinguedine,vim leniendi,digerendi & concoquendi fortitur. Eligendum eft recens,quantum fieri poffit pro alimentis,ac fi non adeò recens. haberi poterit, puriffima aqua bis, & ter lauetur; quo omnis fordities, & acrimonia ab ipfo tollatur,& omnis malus odor,aut praua qualitas deponatur: moderato vfu expetendum; ne immoderatiore ventriculum fubuertat,& ad vomitū promoueat,ex eo etenim plus iuxto ingefto, inflamationes in ventriculo excitari confueuerunt; pinguia .n. & oleaginofa facilè inflammantur, & accenduntur; quare fummopere cauendam, ne immoderatus fit Butirri vfus.

De natura ferri effet hic modo aliquid dicendum, cœterùm cùm ab inftituto noftro hoc alienum fit,& hoc pro intemperiebus,& morbis profligandis potius quàm pro alimento,hominū cœtus vtatur, paucis erit lector contentus, fiuè modo pro alimento quemadmodum ruftici homines,& paftores,fiue pro medicamento eo vtamur. Eius natura eft Aluum leuiter fubducere abfq; aliqua mordacitate vim incidendi,lauandi,mundandi ac penetrandi habens; leuiter tamen ob eius fluxibilitatem corpus nutrit;quare huic fermoni finem imponimus, & ad fructus, qui in fecunda menfa à cafeo comitati, vbiq; ferè proferuntur, accedamus; atq; in hunc ordinem prandium, & cena, cafeo, fructibusq; claudantur.

De Fructibus. Cap. XX.

VT igitur hæc noftra menfa opportunis,& conuenientibus fructibus claudatur: hijs,qui auidè admodum ad fructuū varia genera fe conuertuntur,commendandi erunt fructus, falubriores, & putredini minus obnoxij, quiq; humorem non vitiofum:fed confentaneum,& homogeneum,generare apti funt:

Abfcindantur autem ab horū confortio ferè omnes fructus fugaces,feù horarij appellati,vti perniciofi,& infalubres,hij .n. facilè putrefcunt,& febres, ac alios quamplures morbos perniciofos inducunt; vndè Galenus quotiefcumq; fructibus huiufcemodi

ſcemodi ſe explebat, & præcepta Patris non ſeruabat, in putridas febres perpetuò ſe incidiſſe teſtatur; Quemadmodum incolumen,quandocumq; ſeruatum ab eorum vſu ſe abſtinebat: Vrbanitatis tamen gratia,ſi quipiam fructus apponantur,veluti pruna cerasa,præſertim accidi ſaporis,amaraſia,& viſſula appelata,porrò criſomola,ficus,vuæ,perſica,& melopepones erũt guſtandi, ſed non ad ſaturitatem, ac licet quamplures fructus vnica menſa, non ſimul, & ſemel, ſed interpolatis vicibus proferrantur; initio tamen, & antę omnia erunt capiendi fugaces fructus qui,& horarij à Galeno appellantur. hij enim humidiores ſunt,nec non tenuuioris ſubſtantiæ,& ad corruptionem magis parati,per Aluumq; facilius deijciuntur; idcircò ab ipſis incohare ſaluberimum erit; Nouiſſimo autem loco,cùm iàm ab æpulis diſcedimus,optatum aliud genus fructuum, Nobiles expetere ſolent,cuius quidem vſus,nedùm fugiendus;verùm ſanè appetendus eſt,cuiuſmodi ſunt mala Cotonea, cocta anixo, & ſacaro parata, ea quæ Belaria appellantur, necnon pira, & poma redolentia,quę Hyeme,& Vere,ferè tota,hac noſtra Lunenſi regione adſeruantur,præſertim in Pontremulenſi Territorio, quod quidem hac noſtra ætate, pulcherimo, vario, ac ſuauiſſimo fructuũ genere ſummopere affluit,Piſtacia, inſuper, Amigdalæ, Auellanæ Oliuæ immaturæ, tùm maturæ, ſale, & origano paratæ non abſq; frugi hos enarratos fructus concomitantur, ex his .n. vel id genus alijs, os ſtomaci corroboratur, vapores reprimuntur, ac demum concoctio adiuuatur; Verum vt ingenuè fatear, mihi ſummopere probantur Neapolitana condita, veluti quę parantur ex citrorum floribus,fructibusq; eorum immaturis,ac corticibus,radicibusq; linguæ bouinæ, Piris moſcatulis,cucurbitæ fruſtulis,heſpulis,aut lazarolis, ac alijs quampluribus id genus, quæ Illuſtrioribus viris, ac diuitibus potius conueniunt,quam Idiotis,& tenuioris fortunæ hominibus,quibus in eorum defectu poterunt inſeruire feniculi,& coriandrorum ſemina,vel ad ſummum Cinomomi fruſtula ſacaro incruſtata, Diacitoniton,aut ipſorum Citoniorum cremores; varij, & quamplures fructus hic eſſent commendandi, quos quidem pruden-

prudentissimorum virorum, & Medicinæ artis, candidatorum iudicio relinquimus, prout regionis consuetudo, ac temporis constitutio tulerit, & cuiuscumq; naturæ horum vsus magis pręstiterit. Atq; interim de fructibus hæc sufficiant.

De Potu. Cap. XXI.

VVlgata sententia, & iamdudum in ore omnium versari videtur: multo plures interire ex vino, quàm ex gladio; si intempestiuè præsertim, & plusquàm par sit, eo quis se ingurgitauerit: Ne quis igitur vino abuti præsumat, hic de eius natura; & differentijs aliquid tradere decreui: Nam si vini naturam, ac omnes differentias eius, hic exquisitè tradendæ essent, arduum quippè negotium forsitan agrederer, vinorum namq; genera varia, & naturę diuersæ apud auctores reperiuntur, prout diuersis terris, ac regionibus nascuntur; Quorum doctrinam hic tradere non opus est: Varia quoq; & dissimilia in substantia, colore, gustu, ac sapore cernuntur, vt si quis hanc materiam pertractare velit, pro ea discutienda totus hic tractatus, non sufficiat: reperiuntur siquidem vina saporis grati, & dulcis, quædam vero austera, & acerba, alia insipida, & aquosa, nonnulla vero amari, & asperi saporis, in substantia nedum; sed etiã in sapore dissimilia, proprietate insuper, & qualitate distantia: quemadmodũ videre est tractatum Iacobi Præfecti Netini de diuersorum vinorum generibus, præsertim in suo symposio paratis, In quo quidem egit de vino Falerno, Græco, Pramnio, Caristio, Maronensi, Marcociaco, Maluatico, Cretico, Lesbico, Campano, Acaico, Albano, Latino, Buxentino Cœcubo, Formiano, Segniano, Sabino, Chijo, Calono, Geminianense, Lucense, Apiano, ac alijs quampluribus, quæ hic consultò præterire decreui.

Vinum autem quod ab omnibus præcœteris commendatur, moderato colore præditum, tenuè odoratum, & optimè maturum, at splendidum, tum ex vuis in aprico loco natis palato, gulæq; gratissimum; ita vt, sua iucunditate egregiè à stomaco amplectatur: Tale autem vinum, erit iucundum, suaue, & saluberrimum

rimum, ex quo nullum prorſus nocumentum alicui membro infertur, & optimum alimentum vniuerſo corpori ab ipſo præſtatur; ſi modò tempeſtiuè,& moderatè illud aſſumptum fuerit; ex immodico, enim meri potu,nedùm Nerui, verum etiam, & origines neruorum ſummopere leduntur. Hip. teſte 3.de morbis vulgaribus,vndè Paraleſis cõuulſiones,tremores,Epilepſia, Letargus, Apoplexia, Podagrici affectus, quamplurimaq; alia morborum genera inſurgunt: quēadmodum ex monumentis Hippocr. & Galeni necnon vſu quotidiano perſpicuè nobis innoteſcit,ex eius,namq; intempeſtiuo,atq; inordinato potu,ſanguinem,necnon,& epar,conburi, pulmonesq; affici ſæpenumero conſpeximus; moderatum porrò,ac tempeſtiuum vini vſum intellectum, & memoriā acuere, ac vniuerſo corpori robur addere,& animi alacritatem inducere,liquidò conſtat; moderatè autem ac tempeſtiuè epotum cenſebitur vbi pro portione, & quantitate aſſumptis alimentis reſpondiderit;Temperatè itaq; & proportionatè bibendum erit paulatim,& non confertim,ne ſi plus iuxto illud ingurgitatū fuerit,cibaria ſtomaco fluctuent; vnde ſtomaci aggrauamenta, non conſentaneæq; digeſtiones accidunt, quas bradipepſias, diſpepſias, & apepſias; hoc eſt diminutas,deprauatas,& ablatas concoctiones Galenus appellare conſueuit lib.3.de ſimp.cauſ. eamdem menſuram,& proportionem,vinum ab cibaria aſſumpta habent,quam habere expedit,puriſſimam aquam ad farinam,dum ex ea panem conficere ſtudemus;vbi .n. plus aquę quàm opus ſit farinæ ſuperaddatur; nullatenus vnq̄ ea condenſari poterit, neque ſi puſilla quantitate aquæ id tentaueris,quidquā boni efficere poteris: Reſpondeant itaq; congrua portione,hæc ad inuicem, vt ex ambobus fiat optima commiſtio,non alia ratione cibus,& potus aſſumendus erit,vbi .n. proportionate,& æqua lance hæc aſſumpta fuerint,ſaluberimæ concoctiones,vtique expectandæ erunt.

Vina in caſu noſtro abdicanda,ſunt hæc; Vinoſa admodum valida,dulcia,craſſa,& potentia,è quorum numero,Falernum, Græcum,Creticum,Maluaticum, Raceſium,Vernacium, Trebianum,ac id genus alia; quorum natura calidiſſima eſt. Velo-

 ciſſimeq;

cissimeq; ad neruos permeat, & sanguinem, ac eius officinam comburit:pro diuersa tamen hominum natura, necnon pro ratione temporis, regionis, & ætatis, vina variare quandoq; fas erit: Nàm vini potatores,sanguinei,biliosi,pituitosi,vel melancolici sunt, Rursus, iuuenes, senes, vel in ætate consistenti constituti, vel alterius ætatis molioris; porrò qui in regione calida, aut frigida,vel intemperata degunt;proindè hæc erunt optimè distinguenda,& consentanea consentaneis adequanda. Prisci Medici,vinum Teriacæ magnæ qnandoq; compararunt, corpora .n. frigida,vt aiunt,intus calefacit,& calida foris refrigerat,sicca humettat,& humida exiccat; licèt ferè semper vinum calidum,potentia statuatur. Quare senibus, pituitosis,frigidis naturis,exanguibusq; magis conuenit, minus verò iuuenibus, sanguineis, bilioris; atq; vstis naturis, & in regionibus calidis degentibus, Hæc omnia si diligenter attendantur, & rectè seruentur, tantũ abest,mehercle,vt à vino vmquàm lædamur; quinimò summoperè eius virtute corroborabimur; atq; euidentissimè iuuabimur: Quare de cibo, & potu, iàm absoluta est oratio nostra.

De Somno, & Vigilia. *Cap. XXII.*

SOmnus verò per quem Animalis vires apprimè refocilãtur, diuersa ratione,erit considerandus; contingit.n. vt is non solum noctu,sed etiam interdiù concitetur. Tempus magis opportunum,& somno destinatum, vespertinum ab omnibus sem per habitum fuit;tunc temporis siquidem Animal laboribus,& vigilijs deffatigatum,melius acquiescit;spiritus quoq; ad internas partes facilius recluduntur: Quare non solum hanc ob cau sam,verum etiam propter circumstantem aeris constitutionem fr gidam, spiritus ad internas partes refugientes, operantur: quo cibus facilius mutetur, concoquatur, & in membra distribuatur. Interdiù verò calor ad externas partes eductus, & expansus, perfectam elaborationem haud quamquàm attingit: Quare humorum cruditates, progignit, ex quibus obstructiones,

nes,

nes, ex obstructionibus verò putredo oritur; ex putredine demũ humores efumant ad cor, & febres putridas, vel forsitan malignas accendi contingit: Quemadmodum grauissimorum virorum auctoritatibus, & luce clarius omnibus id compertum esse existimò: Ex meridiano somno itidem torpor, seù pigrities quedam totius corporis laxitudines, capitis dolor, & catarrales destillationes proueniunt: à materia .n. crassa, & incocta, vaporosi spiritus, & crassi exhalantur; petentes cerebrum, ac illud perhumectantes, quo fit, vt nerui, qui per vniuersam corporis molem propagantur, plurima humiditate oppleti, Musculis, Tendonibus, & Articulis illam communicantes, In omnibus voluntarijs motibus pigritiem inducant, ac hominem ferè dissolutum reddant: Quemadmodũ notauit Galenus Aph. lib. 3. comm. 5. Somnus igitur nocturnus optimus est, & Animali magis destinatus, quam diurnus: naturali namq; humiditate, ac silentio, nox animum in somnum deducens, absolutam molitur concoctionem. A somno præterea natura ad excretionem recrementorum continuò irritatur, quibus exoneratis, potentiores spiritus, necnon alacriores insurgunt: sæpe tamen delitiosas interdiù dormire assuetos, & noctis vigiles, meridiano somno iuuari vidimus; idq; Hippocratis testimonio facilè confirmari potest. lib. 2. Prognost. Aph. 11. de somno inquiens: Quemadmodum secundum naturam nobis in consuetudine est interdiù vigilare noctu dormire conuenit; si tamen hoc transgressum fuerit deterius est; minimè verò nocebit si dormiatur prima luce ad tertiã diei partem; hac verò tempestate quamplurimi ex diuitibus, & delitiosis, ab assumpto prandio dormire consueuerunt; pleráq; noctis partem, nugis, tricis, ludis, ac choreis conterrunt; quibus quidem exercitijs, licet quamplurima incommoda consequi videantur. Consuetudo tamen illa, in alteram naturam deducitur, quam Galenus loco supra memorato; hac præcipuè sententia corroborauit, quod consuetum inquiens, bonum est; inconsuetum verò malum.

In omnibus autem ijs traditis, quinquè conditiones esse potissimum obseruandas, quominus à somno quispiam lædatur,

omnes ferè eruditissimi viri consentiunt. Prima harum est, vt somnus sit in consuetudine. Secunda, ne statim ab assumpto cibo ineatur. Tertia, ne depræssa, sed potius erecta ceruice fiat. Quarta modum non excedat. Quinta, ne tumultuosa, ac subita; sed lenis, & modesta fiat expergefactio. Inchoandus erit somnus supra dextrum latus; hoc .n. modo ocius, ac facilius, cibum ad ventriculum descendere, & à concoctrice facultate pręstantius adiuuari, credimus, nequè calciamentis, aut sotularibus, si id fieri poterit, vmquàm dormiendum, ne (vt aliqui volunt) vapores ad capud deferantur; visusq; & memoria lædatur, ac ob vaporum reflexum, totum corpus æstuetur: Vndè carnem colliquari, & corpus diffundi Hippocratis testimonio colligitur lib. 2. de Dieta. c. 23.

Communis somni terminus in his, qui inculpatæ valetudinis sunt; licet septimam, vel ad summum nonam horam excedere non debeat, longiori tamen, vel breuiori temporis spatio præscribi poterit, prout vniuscuiusq; temperamentum, consuetudo anni tempus, innati caloris fortitudo, & imbecillitas, aut ingesti cibi, & potus quantitas exigerit; nàm qui calore innato præualent, hij prõntius, ac facilius digerunt, quàm imbecilles, & frigidi, & idcircò non ita prolixus somnus hijs, ac imbecillibus conuenit, Tempore itidem hibernali, somni longiores conueniunt, Copiosius siquidem cibi, tunc temporis ingeruntur, & idcircò longiori temporis spatio pro illis absumendis indigemus, atq; id somno potissimum comparatur, Inditia bene concocti cibi, & perfecti somni, desumuntur potissimum, ex leuitate membrorum, ac totius corporis, nam si quis à somno suaptè natura excitetur, & pondus in stomaco nullum, neque capitis grauedinem, vel membrorum, torporem percipiat somnũ iam perfectum, & cibum benè concoctum, & elaboratum, argumento apparebit; sin minus frustratam esse concoctionem ob somnum nimis protractum, liquidò constabit: Quare corpus totũ quamplurimis, ac vitiosis sucis redundare, & virtutes corpescere, sæpenumero contingit: longitudo itaq; & breuitas somni, erit ratione metienda.

Sed

Sed quoniam contrariorum eadem eſt diſciplina ab inſtituto noſtro alienum non erit,de vigilijs, aliquid breuitèr exponere: hæ nàmq; ſi immoderatè præceſſerint, calorem, nedum intendunt, verum ēt caumata, & acutas febres excitare conſueuerunt; corpus præterea totum deſiccant,coleram multiplicāt, colorem deterrimum denuò inducunt; Quare ab hiſce extremè contrarijs corpus noſtrum immodicè alterantibus acuratè cauendum erit;quominus,virtutes noſtri corporis collabantur, ac diſſipentur, cùm noſtra interſit vires manutenere, ac totius corporis robur enixè adaugere; ac ut gradatim proſequamur de motu,& quiete mox à nobis agendum eſt.

De motu, & quiete. Cap. XXIII.

QVantum humanis corporibus motus;ſeù exercitium conferat,ſi modo opportunè illud præſtitum fuerit,nemo eſt adeo rationis expers,qui id ipſum quotidiè non dignoſcat,virtute nàmq; huius,innatus calor,nedùm ad omnes actiones obeundas excitatur, verum etiam ad omnes humores noxios, & redundantes expellendum,potentior efficitur,qui à natura eui cti per conuenientiora loca detruduntur, aut vi innati caloris abſumuntur id autem confirmatur à Principe 3. primi doct. 2. Raſis quoq; 4. ad Almanſorem; necnon 17. itidem affirmauit, & Aueroes 7. ſui collig.: hoc idem etiam voluiſſe Galenum 2. part. Aph. Aphor. illo,in omni motione &c. clarum eſt. Cœterùm cum exercitationis,ſeù motionis,nō ſit vnica ratio,de his, atquè eorum differentijs ad mentem Hippocratis, ac aliorum celebratiſſimorum virorum aliquid hic dicendum erit.

Primò namq; exercitium conſideratur, quatenus, naturale, vel quatenus violentum eſt. Eſt autem naturale (quemadmodum voluit Hipp.) vt viſus, auditus, vocis, & curarum labor. Anima ſiquidem in id, quod videtur intenta mouetur, & caleſcit: calefacta verò exiccatur. Per auditum verò Anima à labente ſono concutitur,& laborat,laborans caleſcit,& ſiccatur, Quecumq; fiunt hominibus in cura; anima etiam ab hijs caleſcit,

scit,& siccatur,& humiditatem consumens laborat; Carnes attenuat,& hominem euacuat; Quicumq; labores,vocis sunt,veluti sermo,aut lectio,aut cantus,omnes hi animam mouent,mota aũt siccatur,& calescit,& humiditatẽ in corpore consumit; Violentũ verò exercitiũ, licet,& ipsum naturale dicatur, est veluti deãbulatio pedestris, vel equestris,cursus longi, vel sensim facti,concussiones,cõmotiones,alleuationes,lucta, frications, volutio in arena, vel puluere; frictio ex oleo, & aqua, micatio per summas manus,pilæ,trociq; ludus,ac quamplura id genus, quę hic referre superuacaneum existimaui,cùm ab Hippocrate lib.2. de Dieta. c.26. fusius tradita sint,& ne falcem in messem alienam ponere, nimisq; fimbrias dilatare, in his omnibus referrendis existimer. Huic sermoni finem imponam.

Tempus ad exercitium magis opportunum,mane,& vesperi ante cibum, apud omnes semper fuit commendatum: Natura .n. tunc temporis ab omnibus superuacaneis se exonerare nititur: q; si fortè cuipiam repleto corpore,equitare,currere,vel aliquo violento exercitio motum facere contigerit,non parui momenti incomoda sæpe euenire consueuerunt: Generantur præcipuè lumborum grauitates,inflammationes,dolores,arenulę, & prauæ admodum concoctiones fiunt: Si verò ad obeundas huiuscemodi motiones cogamur; atq; necessitas id expostulauerit à cibis abstinere,& ab omni repletione saluberimum erit, ac siquidem ab assumpto prandio, vel cęna deambulare quis consueuerit,deambulandum leuiter, corpusq; leui, & blando motu erit exercendum,vitando omnem laxitudinem, atq; immoderatum laborem.

Locus ad exercitium magis idoneus, vigente aliqua contagij suspitione,sit Apricus,iucundus,quadam herbarũ,aut Plantarum amenitate ornatus,atq; euentatus in viridioribus Pratis Pomarijs, vel locis Septemtrioni expositis si fieri poterit: Sin minus in Talamo saltem,aut alio benè redolente loco id perficiatur: Summopere autem hominum cœtus, seù concursus fugiendus: Metiendumq; erit omne genus exercitij secundum consuetudinem,ætatem,temperamentum, Anni tempus Aeris

consti-

constitutionem,vires,& temperamentum: Hicq; sigillum huic nostro sermoni de motu,& quiete imponatur.

De Animi accidentibus. *Cap. XXIV.*

DE accidentibus Animæ adeò exquisitè,& passim Medicinæ Auctores,ac alij grauissimi scriptores egerunt, vt hic non opus sit: prolixum sermonem facere,nisi quatenus hæc euitare aut exercere nobis expediat, dùm pro tuenda sanitate viã pestilentiæ præcludere contendimus, Ira .n. Amor, Lœtitia, Mœstitia,curæ Affectusq; huiuscemodi,quantum immutare valeant nostrum corpus, vnicuiq; compertum est: Curæ siquidẽ nostrum corpus præcipuè exiccant, & vires perpetuis vigilijs deijciunt,& exterminant: Febres quoque facilimè accendunt, Melancoliam inducunt,& calorem innatum resoluũt, ac si diutius persistant, eumdem propè modum extinguunt, neq; aliter de timore,& Mœstitia sentiendum est;his .n. affectibus,sanguinem refrigerari,& spiritus dissipari ex Galeno nobis 2.de simp. cauſ. perspectum est, ac licet voluptas maxima,& gaudij excessus,tristitiæ,& mœrores, è diametro pugnare videantur, nouimus tamen amborum occasione quãplurimos interijsse,quemadmodum memoriæ prodidit Gal.xij. Meth. & lib. memorato de simp cauſ. Valer.max.de Morte non vulgari:quamplurimis exemplis id quoque cõfirmauit, ꝙ si perpetuò huiuscemodi affectus non iugulant, facilè tamen spiritum resolubilem, & infirmum reddunt,vt liquidò constat ex his, quæ tradita sunt ab eodemmet Galeno lib. paulò ante recitato à nobis: At verò si vnumquemq; horum defectuum,æquo animo,ac moderato ferè didicerimus;nedùm ab his afficiemur,verum etiam,nobis ipsis,& saluti consulemus,neque enim ex sola voluptate, gaudio, amore, & lœtitia, Iuuamen solum educitur, vt nonnulli autumant,verum etiam,& ab ira ipsa,tristitia,& anxietate: quantũ .n. ira frigidis morbis,innato calori refrigerato,cordi, capitiq; frigido,profit,fidem faciunt ea, quæ tradita sunt à Galeno lib. 6. epid. part. 5. com. 9. Ira .n. inquit non leue præsidium affert,

innatum

innatum calorem .n. iàm torpescentem, excitat, adaugetq́; non minus etiam obesis, crassis, ac plenis corporibus, auxiliari: tristitiam: Biliosis insuper, & calidis corporibus subuenire tradũt, illis namq; crassities, ac totius corporis moles attenuatur, his verò manifestè ab eiusmodi affectu, ebetatur, & remittitur, mala intemperies: Quemadmodum attestatus fuit expræsse Aetius lib. 4. c. 33. necnon, & Paul. lib. 1. c. 17. Ego tamen, vt ingenuè fatear, Quicquid velint Auctores grauissimi, lubentius amplecterer voluptates, & gaudia, omnemq́; tristitiam, & merorem aufugerem, & à pectore ea penitus ammouerem, vti perniti osa, humanæ naturæ inimica, & virtutem destruentia. At quoniam trahit sua quemq; voluptas ad vnum magis, quàm ad aliud solatij genus, quemquam hortari non videtur mihi necessarium, nàm alij venationes, alij ludorũ varia genera sequuntur, nonnulli verò choreis, musicæ, ac eius instrumentis incumbunt: alij pulcherimarum mulierum forma, & aspectu, necnon vestium, iocaliumq; ornatu magis delectantur, sic non desunt varia, & quamplurima voluptatum, ludorumq́; genera, quibus ea, quæ decet honestate, & modestia, hilariori animo, pro voluptatis libito possumus vti publicæ choreæ, ac hominum cœtus, summopere in casu nostro vitentur, ne tot, ac tantis flatibus, forsitan, inopinato contagio, afficiamur, Quare circa animæ accidentia, optimè, & accuratè sibi quisq; caueat: pro quorum intelligentia, hæc sufficiant.

De Venereis. Cap. XXV.

VEnereorum quoque vsus, quibus competat, & qua ratione à nonnullis euitandus sit, hic silentio, non pertranseundũ videtur.

In re venerea .n. multo plures quippè errores contingunt, quàm alijs in rebus, quemadmodum à nobis sæpè fuit obseruatum; nàm alios ob inordinatum, atq; intempestiuum coitum interijsse, aut saltem languoribus varijs laborasse; nonnullos verò ex eius vsu, & consuetudine intermissa in grauissimos morbos,

&

& forsitan in eamdemet nouissimam calamitatem incidisse cognouimus: Quemadmodum confirmatum fuit ab Aueroe 6. colliget. necnon ab Auicenna, Haliab. ac alijs quampluribus auctoribus grauissimis: hi nàmq; vno ore asseuerant coitum immoderatum corpus exiccare, senium accelerare, calorem innatum resoluere, ac vitam demùm è medio tollere. Quare vitandus summopere coitus est, dum à pestilentia tueri, nosmetipsos laborâmus, cùm totius corporis robur, à coitu ob nimiam spirituum resolutionem maximè prosternatur; quamobrem venercam voluptatem sequentes, à pestilentijs tunc temporis facilius corripiuntur, quam celibes, & ab omni venere abstinentes. Si verò adolescens benè carnosus, ac robustus fuerit, & veneri indulgere consueuerit, hic sanè à coitu non est omnino arcendus; retento .n. semine à pestilentia, ac alijs propemodũ innumerabilibus morbis promptius quippè inuaderetur, veluti comprobari potest Galeni testimonio 6. de locis affect. c. 5. Nequè id solum de viris nobis, ibi persuasum esse voluit Galenus verùm, & de mulieribus ipsis præsertim viduis, hæ nàmq; non solum ex mensium retentione, verũetiam ex seminis abundantia præfocationi, mortiq; sæpenumero occurrunt; nàm cum virorum concubitu gauderent, & probè purgarentur, ac parerent, his omnibus priuantur, & morbosæ efficiuntur; Plura ibi Galenus recenset, ex quibus longè maiorem noxam à retento semine euenire, quàm ex supræssis mensibus proculdubio colligitur: Modum autem libidinis, quem de Diogene Cinico recitat ibi Galenus ab omnibus semper detestandum iudicaui, nàm, & si virum, quo ad continentiam constantissimum fuisse credat; atq; non ob voluptatem, sed potius, vt noxam euitaret, quæ retento semine euenire solet, manu pudendis admota semen proiecisse, turpè tamen est, & à Christicolarum instituto penitùs alienum: Caueat igitur quisq; probus vir ab huiusmodi venere, ac si iuuenis, & floridus fuerit, atq; à libidine, & carnalibus desiderijs frequenter irritetur: iungatur cum formosa puella, etiam inuitis parentibus, ne aliquid deterius illi contingat, melius .n. est nubere, quàm vri; attestante hoc Paulo electionis vase.

G De

De Inanitione, & Repletione. *Cap. XXVI.*

CVm de rebus non naturalibus, abundè satis à nobis hucusq; dictum sit, ne quid intactum in hac parte remaneat: Reliquum est vt de Inanitione, & Repletione, aliquid breuiter proferramus: Omnis itaq; cibi, & potus immoderata repletio accuratè vitanda est, neq; ea solum, quæ ex rebus corruptibilibus ingenita nobis obesse creditur, verum etiam, & illa quæ ex cibis, & potibus saluberrimis comparatur: Quomodocumq; igitur hæc contingat accuratè fugienda est, virtutem .n. opprimit, naturamq; ad omnes obeundas actiones imbecilliorē reddit, & exindè crudi, ac vitiosi suci comparantur, omnem Aeris nos ambientis iniuriam facillimè suscipientes. Neq; etiam Inediam tùnc temporis adhibere tutum est; hæc .n. vires prosternit, & pestilentiam, auctore Rase facillimè inducit: Tantū itaq; cibi, & potus exhibendum erit, quantum vires exigerint, aut ex ambobus his seruari poterint; atq; in hunc modum repletio omnis superuacanea, & inanitio summopere aufugienda erit, & vbi Aluus cōgruo tempore à naturalibus fecibus, & excrementis se non exonerauerit, molibus, Clysterijs, Glandibus, aut Balanis erit natura adiuuanda. Et hæc sufficiant pro absolutione omnium rerum sex nonnaturalium.

De Flebotomia, & alijs Chyrurgicis necessarijs. Cap. XXVII.

HActenus rerum sex nonnaturalium regimen satis difusè à nobis traditum fuit, cuius quidem obseruatione à pestilentibus febribus absq; aliorum instrumentorum adminiculis, quilibet facilè sibi præcauere potuisset: Verùm cùm minimè fieri possit, vt omnes in recta victus ratione persistant, multa, errataq; frequenter in ratione victus nobis contingant: ad alia necessaria erit sermo noster dirigēdus. Nè itaq; in diras febres prolabamur; quæ aeris contagio, & humoribus ad suscipiendū eius malitiam aptis comparātur, ad vtramq; causam aduertendum erit, quare aeris iniuriam Bezoarticis, Humores verò Fle-

botomia, vel Pharmacia, profligare laborabimus, his nàmq; instrumentis, à quibuſcumq; peſtilentibus,ac malignis febrib. Dei Miſericordis,auxilio, tuto præſeruari poſſumus. Cautum itaquè erit, vbi ſanguis exuperauerit, ab eius euacuatione auſpicari, ſi modo aliquid obſtare non videbitur, quare nulla interpoſita mora,venam bracchij dextri,quam internam vocant, præmiſſo lenienti Clyſteri,audacter ſecabimus, tantumq; ſanguinis adimere fas erit,quantum eius copia, & flebotomati vires exigerint;ac ſi puer,ſenex,vel mulier vtero gerens ſit,ſanguinē extrahere non licebit,niſi forte primis menſibus fœtus huic connexus fuerit, & ſanguinis copia abundauerit; Si verò ætas vires,aeris conſtitutio,& tempus id minimè permiſerint, ſcarificationes ad crura,vel hyrudines ad hemoroydas,aut per vniuerſum corpus cucurbitulas,cùm ſcarificatione adhibere expedierit,inciſiones.n. quæ circa ſpatulas fiunt,præmiſſis cucurbitulis,venæ communis ſectioni,circa Ancas vero,& Nathes,Baſilicæ Venæ, vicariæ efficiuntur, quemadmodū voluit Princeps fen. prima 4.can. cap.de flebotomia; Non minus etiam ſcarificationes nobis conducere rationabiliter fuit obſeruatum,præſertim quę ad inferiores partes,hoc eſt ad crura fieri ſolent,hac .n. ratione totū corpus,mirificè,& abſq; noxa euacuatur,& peccantis materiæ copia à nobilioribus partibus,ad ignobiliora loca diſtrahitur; licet Itali vulnerarij, ac Balbitonſores parum in hoc genere euacuationis ſeſe exercuerint, quo quidem officio frequentius, ac præſtantius fungūtur Hiſpani, quam Itali ipſi; eximium eſt hoc remedium profectò, & à viris celeberimis ſummopere commendatur.

Nequè etiam illud prætermittendū eſt, ꝙ de ſetone ad ſcrotum appoſito,nōnulli atteſtati ſunt: hoc .n. præſidio annis proximè decurſis,non abſq; artis laude, quamplurimi non vulgares Medici vſi ſunt;perforabant ſiquidem ſcrotum in decliuiori parte corpore à ſuperuacaneis humoribus prius mundato, Setonemq; ex ſerico apponi,& illum quotidiè hinc indè dimoueri,& à ſorditie mundificari iubebant, quaquidem ex re, qui perforati extiterunt ab omni peſtilentia exempti fuere; Id genus

 nus

nus præseruatiui non possum ego nisi summopere commendare, hac .n. via fons innati caloris, non solum mundificatur, verũ & partes subiectæ, necnon, & totum corpus tutum ab omni contagio redditur; quemadmodum doctus quisq; ex Anatome id facilè percipere potest; atquè id magis innotescit nobis ex hís, qui peste corripiuntur, dum circa inguina Bubones apparent, quærit namq; Natura per loca conferentia se exonerare, Quo igitur Natura maximè vergit, eo ducere, per loca conferentia, quemadmodum placuit Hippocrate sect. 1. Aphor. Aphor. 21. non desunt alij, qui candenti nodulo aureo vel ferreo, cauteria bracchijs, femoribus, aut cruribus inferri procurant, corpore vt dictum est prius euacuato, eaq; præcipuè ab Alemanis obseruari vidimus, verum in his ita se ipsum Medicus agat, vt regioni, & consuetudini aliquid condonet, & hæc de flebotomia, ac alijs instrumentis chyrurgicis in pestilenti constitutione prę standis, breuiter sufficiant.

De Pharmatia. *Cap. XXVIII.*

ABsoluta parte, quæ circa chyrurgiam versabatur ad regimen Medicinale accedo, nàm cùm sanguis, vel aliquis alius humor, cùm eo exuperans, perpetuò euacuari non possit per venæ sectionẽ, ob eius cacochymiã, virium imbecillitatem aut quidpiam aliud, ad Pharmatiam deuenire opportunũ erit: Verùm antequàm ad particularia descendamus, hæc erunt prę notanda.

Omne laboriosum Medicamentum, cane peius, & angue, vitandum est, si .n. peccantem aliquem sucum educere hoc Medicamenti genere tentaueris, per sæpe humorem consentaneũ, materia vitiata, relicta, vi medicamenti illius euacuabis, & hac ratione pestilentiæ pabulum paratur, & animal ad interitum sępe deducitur: Nequè etiam, qui bono vtuntur regimine, sunt aliqua ratione euacuandi; nullatenus .n. vnquàm à Pharmatia adiuti fuere; veluti sancitũ fuit ab Hipp. 2. part. Aphor. Aphor. 36. & 37. necnon à Mesue lib. 1. suorum canon. Cautius itaque agen-

agendum erit: & vbi ad summum bonitatis hi attigerint, erunt soluendi, suadente hoc Hipp. prima part. Aphor. Aphor. 3. sed diuersa ratione, & cùm præmeditatione.

Pharmaca, quæ in casu nostro magis competere videntur breuiter hic subiungere non grauabor, exquisitam .n. ex illis doctrinam tradere minimè necessarium fore existimaui, quandoquidem ex his quæ præmissa à nobis fuere, quisque in arte medica versatus, Medicamenta vtiliora, omniq; suspitione carentia deligere potest, è quorum numero habentur Tamarindi, Cassia fistula, Rhabarbarum, Manna, Raponticum, Mirabolani, Citrini, Serrum lactis, Serapium, & violaceum solutiuum, Diacatholicon, Diamanna, Electuarium lenitiuum, Dialcebesten, Diaprunis lenitiuus, Triffera, Persica, Electuarium rosaceū Mesue: ac id genus alia, quæ benedicta appellantur, & humores peccantes absq; noxa è toto corpore educunt: His sanè medicamentis biliosi suci, cōmodius, quàm alij humores euacuantur, ac secernuntur: Pituitosis verò magis competere videntur, Rodomel solutiuum: foliorum, ac foliculorum senæ orientalis infusio ex arte concinata: Rabarbarum, pastilli ex agarico, tùm ex violis: Diaphenicum: Electuarium lenitiuum: Electuarium de Psilio; Diacitonium, ac alia quamplurima, quæ hic referre non opus est: Non minus etiam conducere videntur Melancolicis, & Atrabiliarijs, Serapium ex polipodio, tùm eius Electuarium, Syruppus ex Epitimo, Diasenæ lenitiuum, Diacatholicū Electuarium lenitiuum, Electuarium ex Psilio, serrum lactis ex descriptione Mesue, Epitimus, Sena, Polipodium, Mirabolani, Rebuli, Emblici, & Belerici, hæc omnia ita demum nobis satisfacere videntur, vt nulla alia Medicamenta hijs præstantiora excogitari possint ad depurgandum sucorum redundantiam, qui .n. copiosius purgare medicamentis laboriosis tentauerunt ex calefacto sanguine, & visceribus, in grauiora pericula sæpè præseruanda corpora deduxerunt: coercentur si quidem ob malam intemperiem ab ipsis medicamentis inflictam, frequentius inspirare, & sic maiorem aeris ambientis, & corrupti copiam ad ipsum cor attrahere: Quare, vt paulò ante dictum fuit, Medicamenta

camenta huiusce farinæ summopere vitanda sunt: Neq; etiam hic subticenda videtur mirabilis inuentio Pillularũ Ruffi, quarum ope, nedum corpora nostra à colluuie munda redduntur; verum etiam ab omni putredine intacta seruantur, cuius rei fidem faciunt ea, quæ tradita sunt ab Auerroe 6. collig. & ab Auicen. prima 4. canon. de præseruatione a Pestilentia, vbi expræsse mandauit sumendas esse huiusce modi Pillulas singulo die ad quantitatem vnius .3. Idem quoq; confirmatum fuit à Rasi 4. ad Almansorem c. de Pestilẽtia,& eius cautela;at si quis rectè speculabitur, ea quæ ingrediuntur compositionem harũ pillularum,mirabiles eorũ facultates vtiquè adinueniet,quem admodum attestatus fuit Mes. de consolatione Medicinarum: Tantoperecq; ab ipsis auctoribus hæ pillulæ commendantur;vt omnibus alijs medicamentis excellere proculdubio videantur, in quam quidem sententiã omnes ferè Medicinæ auctores, qui de Pestilentia egerunt,deueniunt: fatenturq; huiusce medicamenti vsu,homines à pestilentia semper illesos,& curatos extitisse,attestante quoquè hoc auctore ipso Ruffo ijs verbis.

Neminem vnquam vidi bibentem hanc medicinam,qui nõ liberaretur,& præseruaretur à Pestilentia, & nunquam fuit inuenta Medicina sibi par. Cuius descriptio mox sequitur.

Desumuntur Aloes sucotrini 3. ij. Myrrhæ electæ. Croci Ia. 3. i. formetur Magdaleon ex arte,cum serapio, ex accido citri, vel de rutha capraria,aut de granatis acetosis,seù vino optimo odorato,si magis placuerit. Capiantur singulo die 3. ij. vel tres ex dictis pillulis,ieiuno stomaco ebibendo haustum vini tempe rati,aut nonnihil aquæ acetosæ,vel aquæ scorzoneræ,modo ea haberi possit;pręcipueq; si tempus æstiuum,& temperamentum calidum fuerit. longè melius etiam nobile hoc præseruatiuum erit; si Aloes,& Mirrha,seorsum aqua rosacea,vel ea,quæ ex destillatione acetosæ fit. prius loca fuerit,calida constitutione aeris,præsertim hoc annuente,hac.n. lotione separantur ab hisce medicamentis partes Igneæ,& calida omnis eorũ intẽperies, q̃ sanguini, aut alicui principaliori membro forsitan obesse potuisset, hæc via deponitur: Quicquid velint alij, qui omnia in

puris

puris naturalibus relinquenda esse voluerunt. Si verò adaperire Hemoroydas, aut mẽses Aloes facultatem pertimescamus vt qui harum venarum orificia facillimè recludat, atq; intestinorum tormina excitari ab eo posse dubitabimus, nonnihil mastICIS, aut gummi Arabici huic erit addendum. Corrigitur .n. in hunc modum eius malitia ex sententia Auicennæ 2.can.c.5. Quare his quoque ita suspectis, citra controuersiam propositũ medicamentum propinare non verebimur: Non minoris efficaciæ est, hæc alia Pillularum compositio à viris doctissimis, & in arte medica diù versatis, nunquàm satis laudata, quæ recipit Myrrhæ electę 3. *s.* Croci 3. i. Aloes sucotrini 3. iij. *s.* fragmentorum cordial. præparatorum Boli orientalis, Terræ sigillatæ, Tormentillæ Diptami, la. 3. iij. conficiatur. Magdaleon, cùm suco verbenæ: Proderit vt dictum est; Ac si validiorem compositionem, & non minori laude dignam, quis cupiat, sumantur Aloes sucotrini 3. iiij. Mirrhæ electæ 3. 1. *s.* Croci 3. *s.* foliorum senæ orientalis, Rabarbari electi, agarici optimi. la. 3. iiij. corticum citri, sandalorum citrin. zedoariæ, salis gemmę, Tormentillæ, Mumiæ la. 3. i. ex his omnibus fiat subtilissimus puluis, & conficiantur pillulæ cum Serapio, ex accido citri.

Mirabiles sunt huiuscemodi Pillulæ, & aliæ paulo ante à nobis descriptæ; non minori virtute tamen præditæ sunt Pillulæ à Guainerio in cap. de Pestilen. traditæ, tantopere .n. ab ipso Auctore commendantur, vt omnibus celebrari mereantur; tùm quia ut ipse dicit, instrumenta omnium sensuum, à superuacaneis humoribus omninò mundificant, principaliaq; membra confortant, tùm etiam, quia omne venenum pestilentiale, à tota substantia expellunt; huiusce descriptionem compositionis, pete ab ipso Guainerio cap. vt supra memorato: Harumq; Pillularum omnium vsus tibi inseruiat, prout dictum fuit in priori traditione Pillularum Ruffi; Ac si Puero, vel vtero gerenti ea minus competere videbuntur, Mannæ Calabrensi, vel Serapio rosaceo solutiuo, aut cuipiam alio lenienti Pharmaco vicaria impendatur opera: opportunum etiam erit, quandoquè tabulas manus Christi, cum Rabarbari puluere, seù panis martiati

orbes,

orbes, cum prædicto puluere componere; vel si magis placuerit erit hic puluis conficiendus cum Diaboraginato, aut conserua rosarum, addita portione Serapij ex accido Citri: Hac enim cautela, & Pueri, & Mulieres grauidæ, quemadmodum, & omnes delitiosi, qui ad oblata Pharmaca ægrè se habent, alliciuntur, atquè hisce compositionibus summoperè iuuantur: Sed ne diutius vagari videamur in tradendis huiuscemodi medicamentis, quibus nostrum corpus à superuacaneis humoribus vindicatur, ac perspirabile redditur: Cumq; in hac parte Galeno à nobis satisfactum sit, qui & illud desiderare videtur primo de diff. febr. cap. 4. ad Alesipharmaca erit sermo noster dirigendus, Quorum ope nedùm ab aere ipso contagioso præseruamur; verum etiam ab ipso iam infecti, necnon à quocumq; alio veneno lætifero curamur, & præmunimur; cuius quidem rei fidem præsertim faciunt ea quæ de Mithridate Rege tradita sunt, à quo mirabilis illa Mithridati Anthidotus nomen sumpsit; Hic .n. à Pompeio victus, & à Pharnace filio in ture obsessus, cùm frustra iterato venenum sumpsisset, quòd Mithridatica illa compositione multis ante diebus aduersus venena se ipsum firmauerat re infecta immissum percussorem Gallum, cito auctoritate vultus perterritum reuocauit, & in cedem suam manum trepidantis adiuuit, ita demùm quod veneni haustu adipisci non potuit Mithridates, ob miram illius Anthidoti dispositionem, qua erat confirmatus, trucidantis Militis ferro, id consequutus est. Sed nihil nunc moror huiusce Anthidoti ingentem virtutem scriptis committere, cùm abundè satis à Galeno, ac alijs præclarissimis auctoribus, de hac mirifica compositione dictum sit: Quare ad alia deueniamus; initium capientes à lapide Bezaar, vti præstantiori, & qui cœteris omnibus Bezaarticis excellere videtur.

De Lapide Bezahar. Cap. XXIX.

LApidis Bezahar facultas, & virtus, adeò eximia, incomparabilisq; censetur aduersus malignas febres, & pestilentes,

tes,necnon quamplurima alia morborũ genera, vt venena ipsa quantumcunq; lethalia ab epoto, præcipuò illo Alexipharmaco , edomari , & profligari omnibus iàm compertum sit ; huius quippè dotes colliguntur sparsim ab antiquis tùm recentioribus auctoribus nempè Latinis,&Arabibus:hi siquidem de hoc mirabili Alexipharmaco pulcherima , notatuq; digna scriptis tradiderunt,inter quos fuit Auenzoar gloriosus, Rabi Moysi, Haliabas,Auicenna,Rasis,Serapio, Aueroes, necnon Andreas Lacuna,Valessius de Taranta,Amatus Lusitanus, & Petrus de Abano, quos quidem auctores quisq; videre poterit,vbi otium ei vacauerit: Qui recenter de lapide Bezahar scripserunt,veluti Nicolaus Monardes Hispanus , necnon Amatus Lusitanus, attestantur, eum generari in inuolucris intestinorum , cuiusdã animalis,quod Capra montuosa,seù potius Ceruicapra appellatur ; Ceruo quippè,& Capræ admodum simile,vt qui magnitudinem,& proceritatem horum animalium obtineat: degitq; in finitimis Chinarum partibus, armis , insidijsq; ac laboribus ab Indis ipsis interficitur, qui ob maximum lucrum à lapide ipso Bezahar captandum seuiunt in illa animalia ; verum tanta sunt ferocitate prædita , & venatores quandoq; ab ipsis interimantur: Huius lapidis magnitudo , vt plurimum instar paruæ pilæ,aut castaneæ est, referens formam sæpenumero ædini Rhenis,nec forma solum, hos Bezaharticos lapides , & magnitudine,sed,& colore,& ipsa substantia;quam maximè inter se distare cognouimus, verus Bezahar,& genuinus est ceruleus,& splẽdidus,& nullo pacto factitius,vergitq; ad colorem Melangenæ maturæ,aut corticis castaneæ,quamplurimis splendentibus auratis,& contiguis laminis præditus in cuius cauitate, latet quedam animula, quæ,& ipsa quoque est splendidissima, & aurata à nemineq, vnquàm hæc animula fingi potest, si benè animaduertatur; Aliquando verò huius lapidis color,est citrinus,neq; minori virtute priori , hunc forsitan esse præditum credimus ; quemadmodum attestantur ea quæ tradita sunt,ab Auctoribus paulò ante memoratis. Reperitur etiam & quidem frequentius lapis iste quasi colore cinericio infectus, huncq; Occiden-

H talem

talem Bezahar, quamplurimi esse autumant, ad differentiam Orientalis Bezahar, de quò prius verba fecimus, Ac licet hic non sit omnino spernendus: Multum tamen virtute ab Orientali Bezahar eum distare cognouimus: Quare vbi opus fuerit auxilium à priori Bezahar, potius erit petendum, quam ab alio nouissimè à nobis tradito; est .n. is longè præstantior cœteris omnibus quemadmodum re ipsa, id sæpissimè mihi perspectum fuit, verum benè animaduertant, qui Medicos se esse profitentur, praximq; exercentes, ne ab his fucatis lapidibus decipiantur, vidi .n. ego quandoque talem mixturam, adeò cautè exculptam, & concinatam, vt ab optimo Bezahar, & genuino vix distingueretur, quemadmodum fuerunt duo lapides illi sophisticati, quos Vespasianus Gonzaga Dux Sabloneta, & tunc temporis, colendissimus Dominus meus detulerat ab Aula Cęsaris à qua quidem mixtura, quamplures non ignari Medici forsitā, decepti fuissent, nisi rectè omnia perpēdissent, & oculis, vt aiūt, patentibus exultam mirabili quodam artificio, mixturam, in tuiti fuissent, fortè etiam magnanimus, & prudentissimus hic Princeps, qui omnium incredibili admiratione vtriusque Philosophiæ, Medicinæ, & legum studijs ac disciplina tantopere fulgebat, & ipse quoque deceptus, ab hac mixtura fuisset, vbi periculum de illa diligentissimè fieri non curasset; Quare cum mihi certis notis falsus Bezahar perspectus esset, & Principi errorem manifestè ostendissem, non parum beneuolentiæ mihi cōparaui, sæpè .n. antea me ipsum exercueram, quo dignoscerē genuinum, & verum Bezahar, vt si mihi contigisset apud viros Illustres de eo verba facere, ignarus omnino non viderer, assequutus equidem fui quod optabam ex quamplurimis nactis occasionibus, Deo Optimo Maximoq; immortales gratias ago, lusitanisq; me plurimum debere fateor, eximio præsertim Artium, & Medicinæ Doctori, Damiano Dias, in almo Pisarum Gymnasio practicam ordinariam publicè profitenti, hic .n. præstantissimus vir dùm febre maligna, & pestilenti grauissimè laborarem, ab omnibusq; iam deploratus essem, vnico illo præsidio, ingenti omnium admiratione, me à faucibus Orci eripuit

1587.

1587. reipsaq; & ipsum Bezahar, & eius virtutem omnibus notis, & numeris dignoui: Huius celeberimi lapidis notæ adeò perspicuę fuerunt, vt nihil ei superaddendum videbatur; Huius forma erat ad instar lumbi, veruecini, coloris splendidissimi, vergentis ad colorem corticis castaneæ, vel potius Melangenæ maturæ, cuius laminæ quamplures contiguæ, & auratæ quoquè extiterunt: Hunc autem ex Lusitania detulerat Nicolaus Pantherius I. C. Nouocomensis, vir mehercle humanissimus, qui Pontremuli tunc temporis præturam agebat: Vnum quoque notatu dignum mihi demostrauit in hoc tam insigni lapide, famigeratus ille Doctor Lusitanus: quod, & ipse à Mercatoribus depræhendit, qui ex Indis illum deferunt: id autem est q ipsi calce lota, & extensa in siluestri manus parte, mox exiccata ducunt lineam huiuscemodi lapide super hac parte; & vbi colorē ceruleum linea illa proferat, certum, & indubitatum inditium optimi, & genuini Bezahar Mercatores Lusitani hoc esse attestantur: An verò hic ille Bezahar sit, de quo antiqui egerunt, fortasse aliquis ambigere poterit, nàm ex Mineris illum educi, nonnulli affirmauerunt, & alij serpentium lapidem illum vocauerunt, & sic non esse eumdem hunc nostrum, & antiquum illū lapidem serpentinum appellatum ob nominis controuersiam, ac ipsius lapidis diuersam originem, aliquibus forsitan videri posset; verum quia nomina ad placitum sæpè rebus imponuntur, vt ex Galeno passim didicimus, atq; ob regionis longinquitatem, vndè isti lapides deferuntur, quandoq; amicorum relatis decipimur: nemini hoc mirum videatur, nàm si sarcinas ex signis (vt aiunt) dignoscere licet, nusquàm quidem hoc negotium alicuius intellectum perturbabit, quod .n. ex nostri recentis Bezahar opere quotidiè euenire cernimus; id quoq; ex antiquo illo, quoquomodo appellato, euenisse palam est: prætiosus quippè est hic noster hodiernus Bezahar, pestilentes morbos, satiteraq; venena quadam virtute innata, & specifica forma prosternens; hominesq; semimortuos ab inferis sæpissimè reuocans, non minori laude etiam præditus est, & lapis antiquorum, qui Mineralis Bezahar, falso aliquoties fuit appellatus:

H 2 Auro

Auro quippè, & Margaritis præciosis; id autem vnico Almirami Regis exemplo probasse sat erit: hic enim ab hausto lethifero veneno mirifica huius anthidoti virtute mortem euasit; & exindè Regium Palatium apud Cordubenses ob potitum lapidem, auctori donauit.

De modo sumendi Bezahar. Cap. XXX.

DEsumuntur ex ipso Bezahar pro singula vice gr. 4. vsq; ad sex grana, vino albo odorato, aut aliquo alio conuenienti liquore, veluti est aqua acetosæ, scorzoneræ, tormentillæ, vel aqua chimica nostræ descriptionis, iteraturq; hoc celeberrimũ præseruatiuum bis, ter, quater, plus, & minus, prout necessitas, & opes assumentis exigunt; ac si huius frustulum in ore deferatur, nunq̃ aliquis contagioso morbo, & pestilenti, aut ab aliquo veneno affici poterit. Hæc sunt, quæ ex optimorum virorum monumentis, de lapide Bezahar summatim colligere potui, quæq; frequenti vsu mihi contigerunt: ac si quis longiorem huiusce rei historiam, & magis exquisitam desiderauerit, datur tutus accessus ad Indos, illuc vsq; se cõferat, & omnia accuratius inspicere, atque intelligere poterit: longo .n. & laborioso itinere; nauigauit quoquè Galenus ex delectu, nempè in Ciprum, videndorum, quæ in ea sunt metallorum gratia, in Syriam Palestinæ Bituminis, & aliorum quorumdam inspiciendorum caussa, in Lemnum, ut terram. quam Lemniam vocant conspiceret: alia etiam quamplurima, longinquiora loca petijt, quæ hic recensere non opus est, vt idemmet huiusce rei fidem facit lib. 9. de simpl. medicam. facult. cap. de differ. nominatæ passim terræ: Quare verborum prolixitati parcentes de vnicornu huic pręstantissimo Anthidoto nonnulla subnectere oportunum mihi esse visum est.

De Vnicornu. Cap. XXXI.

ENim verò bina hæc Alexipharmaca, nempè Bezahar, & Vnicornu, virtute, & præstantia ad inuicem, certare videntur

tur,peculiari .n. quadam Antipathia,peſtilentijs,necnon lethiferis morbis,& venenis ipſis aduerſantur,modo germana,& ſincera haberi poſſint,ac licet priori Anthidoto per Antonomaſiã prima laus conuenire videatur,haud ſatis tamen mihi conſtat, vtrum horum ſit præferendum;præſtat .n. Vnicornu nobis omnia cõmoda,quæ paulo ante de ipſo Bezahar à me tradita ſunt, cuius quidem dotes verſantur quotidie, nedum in ore eruditorum virorum,verum etiam imperitos,& mulieres proculdubio non fugiunt, nihilq; ad eius virtutem hij accedere poſſe ſuſpicantur,ſed profectò horum Anthidotorum facultas,cum æquè benè ad vnum finem,& ſcopum dirigatur; Vtriusq; communis laus ac ab vnoquoque eademmet ſperanda ſalus videtur, multa quippè ſparſim ab Auctoribus de Vnicornu tradita ſunt,quę cum fabuloſa, potius, quàm vera exiſtimentur, & ab inſtituto noſtro aliena, conſultò, ea, prætcrire decreui: curioſum .n. eſt perquirere an iſtud Alexipharmacum Rinoceruntis cornu ſit, vel potius alterius animalis hoc vnico cornu in fronte muniti: inſuper,an à pudiciſſima virgine,vt nonnulli aſſerunt,iſtud animal tantum modo capiatur, aut à quo piam alio modo: Numquid aquas veneno infectas, ſerpentum confluxu, priusquàm ebibat,cornu ſubuertat,& promoueat, & virtute cornu, veneni pernicies expellatur: hæc ſi quidem nihil ad rem faciunt: præſtat autem hæc omnia dimittere,atquè iſtud Anthidotum necnon eius facultatẽ, medulitus perquirere, ne ab hoc quandoq; fucato, & impuro inopinatè deludamur. Vt igitur verum, genuinumq; vnicornu dignoſcamus, recenſere non grauabor, ea quæ mihi iàm diù, non perperè de hoc Alexipharmaco perſpecta ſunt,non .n. auctorem hucusq; vidi, qui illius hiſtoriam exquiſitè complexus ſit: Venetias igitur quandoq; dum iunior eſſem,ne dum ſolatij cauſa,ſed,& mendicamentorum viſcendorum gratia me contuli, forte, fortunaq; in Mercatorem Turcã ditiſſimũ incidi, hic autem tunc temporis vendituris erat Vnicornium integrum,notabilis magnitudinis,& præſtantiæ nobili cuidam florentino ; cumq; de ſatis grãde pecuniarum ſumma conuentio fuiſſet inter illos: deuenerunt etiam ad periculum

huius

huius præstantissimi Anthidoti, necnon ad certam, & tutissimã eius notionem, hac quippè subsequenti cautela: cœperunt itaquè binos palumbos, quorum vni venenum perniciosissimum fuit propinatum; mox Vnicornij pulueris portiuncula porrecta: Alteri verò venenum tantummodò diglutiendum tradiderunt: Verum sicuti priorem palumbum Vnicornij puluis sospitem redidit diù, ex opposito venenum paulò post interire alterum fecit: Experimentum hoc certum, indubitatumq; inditiũ esse veri, ac purissimi Vnicornij: viri quamplurimi doctissimi, atquè exercitatissimi attestari non veriti sunt, nullamq; certiorem experientiam hac ipsa adinueniri, vno ore omnes quippè fassi sunt. Aliud experimentum à nonnullis aliquoties fuit tentatum; neq; illud omnino spernendum esse existimo: tutum .n. est ab exercitatissimis viris perpetuò comprobatum. Id autem est, quòd ex parte Elebori depræhenditur: sumuntur siquidem duo pulleastri, quorum cristæ perforantur, filoq; Elebori suco prius inuncto, transmittuntur: horum porrò alteri Vnicornij, puluerem dumtaxat ebibendum tradunt: & vbi superstes iste fuerit, & alter moriatur, iàm alia potiori experientia non ægemus: hæc autem non semel, sed multoties vidimus: propterea vera esse attestamur, atq; in hunc modum Anthidoti excellentiam proculdubio comprobari credidimus; non enim ex superficie dignoscitur istud Anthidotum, aut ex illa eferuescentia, quæ illi accidit, dum aqua immergitur; quemadmodum aliqui falsò suspicantur, cùm eademmet eferuescentia, cornu ceruino combusto; aut cuipiam alteri ossi, vel forsitan lapidi ita perusto, contigere perpetuò consueuerit, vt illud sæpè antea à me cognitum, & perspectum fuit. Quare hæc de Vnicornu in gratiam Medicinæ Tironum, & aliorum Medicorum, qui ea non dignouerunt à me strictè dicta sint: Commune pondus, quod præstatur in corporibus humanis istius celeberimi Anthidoti solet esse sc ij. vel iiij. consentaneo liquore, prout dictum fuit de lapide Bezahar.

De

De Bolo Armenica, & Sigillo Armenico. Cap. XXXII.

BOli Armenicæ medicamen, de quo Galenus adeò egregie scripsit maiori dilucidatione iam indigere non videtur. Memoria autem repetere dumtaxat iuuabit, quæ ab ipsomet Galeno pulchrè,& diffusè de hoc præstantissimo anthidoto lib. 9. de simpl.medicam. facult. tradita sunt; ibi .n. diuinus ille au ctor, hæc præsertim memoratu digna refert. In magna Peste cuius eadem facies fuit, atq; eius quæ Thucidis memoria grassabatur,quotquot hoc medicamen bibere, celeriter curati sūt, at quibus non profuit, omnes interiere, scilicet cùm nec alio quouis medicamentorum genere iuuarentur; Ex quibus quidem verbis liquidò constat, quòd his dumtaxat non fuerit auxilio,qui planè erant incurabiles. Hanc sententiam sequutus est Princeps in proprio capite de Bolo Armenica vbi attestatur Luti Armenici vsum, non solum homines à Pestilentia præseruare,verum etiam ab ea depræhensos celeriter liberare: ebibitur istud medicamen facilissimè vino albo subtili, & odorato; est .n. hic liquor omnium aliorum præstantissimus,quoquidem vehiculo vis medicamenti otius, & facilius ad cor deducitur; atq; ab omni iniuria, & qualitate venefica vitalis facultas hoc medicamine præuio se tuetur: quemadmodum colligitur ex eodemmet Galeno cap. paulo ante memorato, sin autem temperamentum, aut externi nos ambientis aeris æstus, vel quidpiam aliud obstare videbitur. Id ipsum medicamen erit ebibendum aqua destillationis Acetosæ, Rosarum, Buglossæ, vel Scorzoneræ,assumuntur autem ex dicto Bezahartico scr.iij.vsq; ad iiij. ieiuno stomaco,summo mane,pro singula quaque vice. Verum quoniam à Luto Armenico ipso aliquam obstructionē causari ob quandam eius crassitiem terream, nonnulli opinati sunt: vt eorum suspitio omnis penitùs adimatur: Lotum,ac paratum,iuxta Ioannis Mesue ritum illum commendamus,cuius quidem lotionis, & præparationis forma erit petenda ab ipso Mesue de consolat. Medicinarum.cap.de medicamentorum lotionibus. At vbi Terra Lemnia seù sigillum Lemnium se se nobis

bis præstiterit, nulla alia lotione, aut præparatione proculdubio indigebimus: hæc terra siquidem purissima substantia est Boli Armenicæ, quæ quidem, dum statuto tempore extrahitur optimè per aquam purgatur, purioresq; partes secernuntur, & in orbiculos formatæ, sigillo Imperatoris illius regionis imprimuntur, magna custodiaq; apud illum ob eius virtutem, & valorem seruantur; idcircò cum apud magnos Principes istud sigillum Lemnium, vix reperiatur, & ad nos difficillimè deferatur; non satis fiderem Pharmacopolis, & Mercatoribus, apud quos ferè semper, hæc terra adulterina reperitur; animaduertant igitur bene Medici in tradendis his medicamentis, quia sæpissimè a Pharmacopolis maximo vitæ ægrotantium detrimento frustrantur. Quare videant Galenum lib. paulò ante citato, accurateq; eius verba ponderent; & hæc de Bolo Armenica, & Sigillo Lemnio sufficiant.

De vsu Scorzoneræ, & de nonnullis alijs præstantioribus, ac vsitatis Alexipharmacis. Cap. XXXIII.

COpiosam siluam Alexipharmacorum, publicæ salutis desiderium me impelleret, nisi ab alienis horreis hæc congesta viderentur, facere tamen non potui, quin ex his aliqua elegantiora, magisq; exquisita, & tempori inseruientia repetam, inter cœtera vero Scorzonera planta quæ superioribus annis ab Indis ad nos fuit delata, & hodie in viretis quamplurium ciuium ferè per totam Italiam excolitur, summopere in casu nostro commendatur, huius etenim radix ex arte parata, necnon aqua illius plantæ per vitreum elambicum sublimata, singulis diebus assumpta, ne dùm Anthidotus præseruatiua, verum etiã ipsius pestilentiæ medela certissima habetur: Assumuntur ex prædicta radice ieiuno stomaco singulis diebus, aurei sex vnico haustu aquæ sublimatæ illius plante per elembicum recitatum paraturq; radix, quemadmodum parari consueuerunt Neapolitana condita. Insuper.

Ruthæ caprariæ sucus, quam Seplasiarij Galegam appellãt,

itidem

itidem operari iam omnibus compertum est, huius autem rei argumentum nobis faciunt, Viperarum ictus, ab hoc præstantissimo Anthidoto mirificè curati; suco namq; ipsius plantæ illicò extracto, moxq; ebibito ad pondus oc. iij. vsque ad quinq; nihil præstantius adinueniri iam satis fuit comprobatum; Depuratur iste sucus optimè & in formam Serapij redigitur, & est tutissimum Pestis præseruatiuum, nec non illius perniciosissimi veneni Anthidotum mirabile. Echionis quoq; sucus eadem mensura ebibitus, ne dùm Pestilentiæ, verum etiam ictibus venenatorum serpentuum, veram præstare medelam, horum omniumq; esse verum Anthidotum habetur. Id autem compertum faciunt Circulatores, seù Ceretani, in foribus ac publicis locis, nàm cum ab astantibus pecuniam coradere studeant, hoc præcipuo Anthidoto sese præmuniunt, sospitesq; à mortiferorũ serpentum venenis, incredibili omnium admiratione euadunt. Quo fit, vt terra illa, quam S. Pauli appellant à Mileti insulis delata facilius ab ipsis venundetur, & ab astantibus ipsis magnipendatur, cuius portiunculam in cospectu omnium vino ingurgitant, & eius ope à venenatorum animalium ictibus erepti videtur, cum prius Echionis Anthidoto domi se præmuniuerint, Calendulę etiam necnon Berbenę sucus aspernendus non est: Accedunt ad hęc Dictamum Cretense, Scordion, Vincetoxicũ Radix enulę camp. Hipericon, vtraq; Aristologia, Tormentilla, Scabiosa, Cardus sanctus, Pimpinella, s. Citri, Acetosa, necnon eius femina. Rubinus, Smaragdus, Saphirus, Os de corde Ceruui, Margaritę pręparatę, Rasura Eboris, Aurum, Argentũ, quorum omnium puluerem seorsum, nonnulli mixtica compositione exquisito iudicio propinare consueuerunt: Quemadmodũ ex descriptione compositionum, quę mox à nobis hic tradetur. Recipiantur igitur primo Dictami Cretensis, Bistortæ Angelicæ, Zedoariæ, Tormentillæ, Pimpinellæ la. 3. i. Croci, Rosarum rubear. la. 3. 5. specierum de Gemmis Diasandali la. 3. ij. ligni Aloes, Margaritarum, Vnicornij, Coralorum præparatorum, Boli Orientalis præparati la. 3. i. Terræ sigillatæ scr. ij. foliorũ auri purissimi nu. 24. fiat subtilissimus puluis, & vt magis excel-

lat adantur, lapidis Bezahar Orientalis gr. xv. sumantur pro quacumque vice dicti pulueris cum vino albo, vel quouis alio conuenienti liquore scr. ij. aut tres: Possunt etiam formari Tabulæ ex arte cùm dicto puluere, & sac. dissoluto cum aquæ scorzonerę, seu acetosæ portiuncula, aut quapiam ex aquis cor dialibus, cuius vsus sit mane ieiuno stomaco, aut vespere duabus horis ante cibum ad pondus trium, vel quatuor scrupulorum: Hæc mixtura omni Teriacalĩ Anthidoto præualere creditur, atque a doctissimis viris summopere ob eius dotes celebratur, summa igitur fidutia assumenda est, Qui potest illam capere, capiat, sin minus ad alia se conferat: Nam huic mixturæ alia Anthidota subiungemus, quæ forsitan eiusdem valoris videbuntur, & minoris erunt dispendij, sed antequam adhæc properemus, repetamus non minoris excellentiæ mixturam quæ subsequitur.

Recipit autem, Terræ Lemniæ, vel saltem Boli Orientalis ℥. vj. corticum, & seminum citri, sandalorum, ligni aloes, scordij, Dictami. s. acetosæ la. ℥. ij. fragmentorum omnium præparatorum, Margaritarum, pręparatarum la. ℥. i. Ossis de corde Cerui, Eboris, la. scr. iiij. Vnicornij, Lapidis Bezahar Orientalis la. scr. i. foliorum auri nu. 20. Ex his omnibus componatur subtilissimus puluis cuius dosis erit scr. ij. vel trium pro qualibet vice, aliquo oportuno liquore, prout paulo ante à nobis dictum est: Nonnulli vtuntur hoc ipso puluere in ferculis in modum Targeæ; est .n. eius vis nedùm tempore contagioso præseruatiua, verum etiam omnem venenatam pernitiem expellit, malitiam reprimit, cor, necnon principalia membra confortando; cuiusuis veneni fomitem, ac malitiam prorsus adimit: Verum cum ob inopiam locorum, & personarum: sæpenumero haberi non possint, ea, quę necessario componunt hoc nostrum celebratum Anthidotum, expedit vt ad alia transeamus, ac præsertim ad ea, quæ à priscis, ac sapientissimis Medicinæ parentibus iam diù celebrata fuere, è quorum numero magnum, ac præcipuum illud Theriacæ Anthidotum elicitur, cuius eximia facultas, & dotes adeò fęliciter, & luculenter à Galeno tradltæ sunt, vt hic

eius

eius verba repetere superuacaneum sit, cum autem hoc fœlicissimi Anthidoti genus per Ciuitates, & Castella ferè passim reperiatur, eo ad libitum quisquè tuto, ac familiarissimè vti poterit, huius autem vsus hibernali tempore præcipuè à me laudatur: Quare vbi opus fuerit, Dantur ex eo scr. ij. vsquè ad quatuor, ac prout ætas, tempus, & temperamentum exigere videntur; tribus nempè aut quatuor horis ante cibum, Bis in hebdomada, si illud assumatur, semper fuit laudatum, idque sac. rosacei, aut oxizacaræ, vel dimidio ciati aquæ acetosæ vel buglossæ portione præsertim si tempus fuerit æstiuum: Non minori laude Mithridatica compositio prædita est, de qua in superioribus verba fecimus: Electuario de Gemmis, alij; nonnulli verò electuario ex ouo, aut quod componitur ex scordio, tutò, ac fœlicissimè vtuntur, Quorum omnium, cum apud grauissimos auctores, qui ante me de Pestilentia egerunt, silua copiosa reperiatur, ne verbosus potius, quàm prolixus videar, huic labori rationabiliter supersedebo.

Quæ .n. hactenus à me tradita sunt adeò excogitata, & probata videntur, vt non opus sit alia coaceruare: superest tantummodo, vt mirabile aliud anthidotum, ac nulli alio ferè æquiparandum recenseam, quod quidem Alchimistica arte, ingentiq; labore, & dispendio paratur, & ab omnibus pro maximo, tutissimoq; secreto amplectendum est, præsertim ab ijs, qui degunt apud Principes ac viros magnanimos, quorum nihil refert si grandis pecunia deuastetur, modo de eorum salute agatur; huius eximij Anthidoti, adeò eximiæ vires, & facultates sunt, vt verbis explicari vix vnquàm possent, quemadmodum ex eius fabrica, & compositione mox apparebit.

De mirifica, ac Bezahartica quadam compositione chymica arte parata. Cap. XXXIV.

REcipit Radicum Tormentillæ viridis lib. i. Radicum herbæ Tunici, Dictami Ia. lib. s. Radicum ennulæ campanę oc.iiij. Buglossæ, & Boraginis, cũ eorum floribus, Rosarum rub.

siluestrium. Ia. lib. i. Pimpinellæ scabiosæ Ia. lib. ß. succi limonum lib. i. Theriaces Androm. ōc. vj. Aquæ vitæ ex optimo vino, pluriesq; reiteratæ ōc. ij. Terræ sigillatæ, Boli armenij Ia. ōc. ij. Sandalorū alborum, rubeorum, Spodij, Benalbi, & Rubei, Margaritarum splendidarū ōc. i. ß. Ossis de corde Cerui Ia. ōc. i. Rasuræ eboris ōc. ß. Croci ʒ. iij. Canforæ ʒ. ij. foliorum auri ōc. ß. componantur hęc omnia in hunc modum vz. Aurum primo in tenuissima frustula diuidatur, vel diù cùm mele puro Hyspanico, super lapide porphyrite ducatur, donec in puluerem tenuissimum redigatur, porrò in ampula cum aqua vitæ optime obturato orificio ponatur, xvq; diebus dimittatur. Margaritas verò æquè benè puluerizatas, in alia ampula cum suco limonum totidem temporis spatio dimitte. Radices insuper optimo vino lotæ mundæ in opaco locoq; exiccatæ, in mortario cum cœteris herbis, ac seminibus concussæ. Reponantur in vase terreo optime vitreato, quibus Theriacam, cum pulueribus, nec non aurum infusum vt supra, ac Margaritas super infundas, obturatum diligētissimè vas, demum, ne tantillum respiret, sepeliatur in loco humido in fouca altitudinis vnius bracchij in cuius cauitate proiciatur calx viua ad dimidij pedis altitudinem, in cuius medietate vas ponatur, fimo equinoq; seu vinatijs circumdetur, & cooperiatur, illicòq; vna vel altera aquæ situla infundatur, atq; ita sepultum xij. diebus naturalibus dimittatur, singulis verò tribus, aut quatuor diebus, fimus, seu vinacia renouentur, quibus peractis per vitrea lambica optimè sigillata, igne lento ex arte chymica destilētur, extracta aqua, fecibusq; proiectis iteretur bis. & ter, ac denuò aqua ter in hunc modum destillata per Balneū Mariæ iteretur atq; ita destillata in Phiala vitrea omni diligentia custodiatur, ac vsui seruetur; sumitur ex dicta aqua pro qualibet vice coclear paruum, cum aliqua portiuncula pulueris, vel confectionum superius enarratarum, tanta etenim affinitas istius aquæ cum corde est, vt momento temporis ab ipsa cordis virtute attrahatur, quæ postmodum attracta omnibus perniciosis, ac letiferis venenis resistit; illa interimit, omnibusq; pestilentijs medetur, Quare nedum sublimis

hæc

hæc compositio hominem à pestilentibus præseruare valet, verumetiam illum depræhensum illicò curat, ac ab omni veneni iniuria illum vendicat, eiusdem farinæ aquam composuit aliquando Frige melica Patauinus vir mehercle doctissimus, & eximius suæ ętatis Medicus, ex cuius vsu maximam sibi gloriã comparauit, cuius beneficio, quotquot illam compositionem assumpserũt seruati, & à faucibus orci incredibili omnium admiratione fuerunt erepti; Quamplurimis, alijsq; laudibus magnificanda esset hæc mirabilis, nunq̃q; satis laudata Bezahartica inuentio; verum cum illius vsus, satis superq; de se fidem faciat, laudatione non indiget. Quare ad alia transeamus.

De recenti quodam, ac mirabili Bezahartico ex floribus nucum. Cap. XXXV.

ALexipharmacum mirificè virtutis, nulliusq; dispendij illud referam, quod paratur ex floribus nucum, cuius compositionis forsitan nondum alius Auctor hucusque reperitur, huius Alexipharmaci vis est, hominem à pestilentia nedum seruare, sed momento temporis totam venenatam materiam, sudores promouendo, absumere.

Desumuntur itaq; flores nucis, priusq̃ à solis radijs tangantur, qui non sint valdè maturi, vulgo appellantur gatelli nucis; exicantur in loco opaco, postmodum cõtunduntur, accurateq; cribantur seruatur huiuscemodi puluis, ac bene custoditur, & vbi opus fuerit, sumũtur pro singula vice dicti pulueris scr.iiij. vsq; ad ʒ.ij. cum vino albo, vel Iure Pulli, aut quouis alio opportuno liquore, nec opus est vt aliud dicam, quoniam rei euentus omnia te proculdubio docebit; neque vnq̃ te decipit; mirum .n. in modum à pestilentia pręseruat, correptosq; ab illa apprimè, feliciſſimèq; curat.

De

De anthidoto aduersus vermes in pestilenti constitutione pro Pueris. Cap. XXXVI.

SVperest modo, vt quādam Anthidotum referam, quę adeò belè Pueris, excitata pestilenti febre, dum à vermibus lancinantur, succurit, vt nulla alia, huic æquiparari videatur. Recipit Sanctonici seminis in aceto acerrimo per diem naturalem infusi, Boli Orientalis præparati la. ȝc. j. Radicum Dictami ȝc. ſ. Rasuræ Cornu Cerui vsti, Seminum Caulium la. ȝ. ij. seminis, & corticum citri, Radicum Tormentillæ, Tunici, Terræ sigillatæ, Margaritarum Orientalium, Coriandrorum præparatorum la. ȝ. ij. ſ. fragmentorum omnium optime concinatorū ex arte la. ȝ. j. coralorum rubeorum ȝ. ſ fete ex grana combustæ seminis Plantaginis la. scr. ij. Ossis de corde Cerui, Rasuræ Eboris la. ȝ. ſ. ex ijs omnibus paretur puluis, cui si haberi poterit addantur Vnicorni, ambræ grisæ la. scr. ij. vel saltē, gra. xij.

Hæc mixtura propinatur pueris in vino albo linfato, aut conserua Rosarum ad pondus scr. j ſ. vsq; ad tres, lac vero exugentibus in lacte emulso super cocleari, aut in paruo ciato, & hic Bezaharticis internè assumendis, Deo immortales semper gratias agentes, finem imponimus.

De externè præseruantibus: Cap. XXXVII.

CVm abundè satis à nobis in superioribus de internis præseruatiuis traditum sit, quæ omnibus externis, vtique antecellere creduntur ne quamplurium desiderium, qui libentius ad externa sese conferunt, inanè redatur, nonnulla in gratiam eorum ego hic subiungam: initium sumens à prætiosis lapidibus, Quorum virtutem in præseruatione à pestilentia Albertus Magnus in lib. de Mineralibus, ac præciosis lapidibus mirificè probauit; ibiq; Iacinto, Smaragdo, Rubino, Saphiro, primum, ac præcipuum locum in casu nostro dedit, in cuius sententiam quamplures alij Philosophi tum Medici deueuerunt, atque hucusq; ferè vbiq; locorum à diuitibus, & nobilibus procurantur

aurei

aurei annuli tali gemmarum genere exornati, qui quodam artificio solent lapides, nedum exterius, verum & interius cõstrui vt horum contactu, virtus penetrabilior, & efficacior redatur, nonnulli à Saphiro cor pertingi procurant, quia ex sententia eiusdemmet Alberti, nedùm à pestilenti malitia, verum, & à venenis ipsis arcem hanc proculdubio tuetur, sed mirum forsan alicui videbitur ꝙ Gemmarum loco nonnulli Arsenico zendalo rubro induto cor ipsum muniant, atq; hoc vnico præsidio ab omni pestilenti contagio se præstantissimè tueantur. Verùm desinant hoc genus præsidij oẽs profectò mirari; didicimus namq; ex antiquissimo nostro Hippocrate medicinæ parente, Aerem venenatum, & putridum canum, ac aliorum animalium corporibus passim per loca stratis fuisse curatum, quoquidem artificio, venenosa, ac pestifera illa aeris qualitas mirum in modum profligabatur, Quare ex his colligere possumus ꝙ venenum, veneno expelli quandoquè liceat.

Mirabilis est quoque Buffonis lapis, vt nonnulli doctissimi viri senserunt, qui & ipse ab huiuscemodi animalis capite, quodã artificio exemptus arte excolitur, & ad hunc finem argenteo annulo non frustrata spe à nonnullis defertur.

Non desunt, & alij, qui cor & aparentes pulsus oleo Magni Ducis Hetruriæ muniunt, quod quidem oleum ferè per totam Hetruriam apud Seplasiarios venale reperitur, & pro magno Alexipharmaco, nedum aduersus febres pestilentes, verum & aduersus venena lęthifera in vsum habetur, hoc idem præstare oleum, ex Scorpionibus descriptione Andreæ Mathioli in præfatione omnes asseuerant: Cœterum cum non vbiq; locorum haberi possint huiuscemodi elegantissimi liquores, & præciosi, cumq; laborosissimum sit illa componere, pro minori dispendio oleum hic describere præciosum, & non adeò laboriosum, mira virtute pręditum, opere, ac viribus ennarratis, liquoribus, ęquiparandum constitui, cuius inuentum extitit cuiusdam Bononiensis viri vndequaque laudatissimi, qui sub anno 1524. infinitos à pestilenti lue nedùm seruauit, verum, & correptos incredibili omnium admiratione curauit; vnde maximam auri con

gerìem

geriem sibi comparasse, adhuc nonnulla fidissimi auctoris monumenta fidem faciunt.

Recipit igitur olei oliuarum veteris pro possibile lib. 1. scorpionum viuentium 100. ferueant cum dicto oleo, donec absumantur deinceps colosundantur per pannum lineum. Pone liquorem in Phiala vitrei, cui super adantur Rabarbari electi puluerizati ℥. vj obturato propè orificio, ponatur Phiala 40. diebus vigente canicula sub ardenti Sole, Demum reponatur, & vbi opus fuerit vngatur pars sinistra, sub mammilla nempè cordis regio, vngatur pulsatiua temporum, & bracchiorum iteretur singulis diebus. De huiusce præstantissimi olei compositione egerunt quamplures doctissimi, ac præclarissimi viri; prę cœteris autem, oleum è scorpionibus ex Gregorij Carauitæ Bononiensis descriptione, quod Summis Pontificibus ac Principibus, & Illustrissimis viris acceptum tradunt comendatur, ac celebratur, quod quidem in eumdemmet vsum seruatur, Nec desunt acutissimi rei medicæ speculatores, qui oleum Andreæ Mathioli, è scorpionibus ab huiusce Carauitæ monumentis depromptum esse asseuerant, quod verum sit, an non, ego non contendam, cùm vnusquisq; publicæ vtilitati studio impulsus fuerit, nostraq; interfit, vtriq; perennes gratias referre, qui tale, ac tantum munus nobis reliquerint; Iàm verò ad alia externa, quę vsu comprobata sunt transeamus; queq; familiariter nobis inseruire, contagij suspitione externe consueuerunt; quemadmodum, Poma, ac alia odorata, quæ quotidie à Medicis vsitantur; Vtilissimum igitur erit infrascriptum pomum. R. Laudani optimi, & purissimi õc. j. s. Stiracis calamitę ℥. ij. Gariophilorum, Ligni Aloes, Cinamomi, Calami aromatici Ia. ℥. i. s. rosarum rubearum, santalorum florum nenuphar. corticum citri Ia. ℥. i. fiant ex his omnibus puluere ex arte conficiantur, cum modica quantitate aquæ, florum Mirthi, aut Melissæ, addendo Moschi Orientalis, Ambræ grisæ scr. 1. Mucilaginis, Draganti 9. s. conficiatur mixtura, & malaxetur cum prædicto Mosco, & Ambra, ac si libuerit aliquid olei de spica odorata, vel olei e🞄ben albo adere prædictæ pastæ dum exiccatur, erit optimũ compositum,

&

& odoratum, & per hiemis constitutione magis inseruire potuerit, quàm in alijs temporibus.

Estuante verò aeris constitutione recipiantur florum cordialium, hoc est rosarum, violarum, narantiorum, florum buglossæ, florum nenuphar, la. 3. 1. florum mirthi; sandalorum rub. & citrinorum, ligni aloes, corticum citri la. 3. i. cinamomi, gariophilorum. *s.* ozimi, la. 3. *s.* laudani óc. i. *s.* moschi orientalis, & ambræ grisæ la. gr. x. puluerizatis seorsum omnibus componantur poma ex arte cum mucilagine Draganti vt supra; Sunt aliqui qui ferunt spongiam aceto acerrimo imbutam, canna argenteaq;, vel simplici arundine obrutã; aduntq; aceto aquam rosaceam, aut mirthi, vel aquam ex floribus narãtiorum, quam vocant Nampham, atq; in hunc modum ab externo aere corrupto, tùm flatibus putridis ægrotantium, se optimè tuentur, Alij ferunt lapidem Bezahar in ore. Nonnulli frequenter corticem citri, vel limonũ mandentes, mirificè ab ijs externis corruptibilibus immunes seruantur Dei Misericordis Nutu; qui sua benignitate, & nos custodire quatenus opus fuerit dignetur cum de regimine, ac præseruatione à pestilentibus, ac malignis febribus, iàm satis à nobis dictum sit.




K CAROLI

CAROLI GALLI MEDICI, AC PHILOSOPHI PONTREMVLENSIS,

De Febribus Pestilentibus, & Malignis Tractatus Secundus.

De Dignotione Febr. Pestilent. *Cap. I.*



VAE hactenus de præseruatione febrium pestilentium, ac malignarum à nobis tradita sunt licet præseruatiuæ, & curatiuæ intentioni inseruire apta sint, eademq; Anthidota in præseruatione, ac curatione harũ affectionum ferè semper idemmet munus præstare possint; vt liquet ex Galeno de diff. feb. lib. 1. cap. 4. necnon xi. Meth. cap. 2. Nihilominus tamen, cùm maturè facto opus sit, altiorem indaginemq; res ipsa requirat, ad Curatiuam me accingo, circa quã indies magis, deffidia, necnon rixæ inter Medicos oriuntur, qui de venæ sectione acriter contendunt, & adhuc ancipites non paucos, hæc ardua questio redidit. Quaquidem in re lubentissimè Apolinis Oraculum consulerem, ne si ingenuè quid sentiã in tantorum virorum caterua, qui doctissimè de hac re scripserũt, temerarius, ac odiosus existimer, Verum cùm bonis potius, quàm multis placere studeam, quid in re propria edoctus egerim; queq; mihi vsu frequenti in curando id febrium genus, contigerint, fatebor çquidem, atq; ambigua illa, quæ nonnullorum Medicorum intellectum obtenebrare, & illos ancipites redere videntur, doctissimorum virorum auctoritatibus exornatus, omni offitio, ac pietate, ab eorum mente pro viribus excutere enitar. Coreptus ego demùm hoc febrium genere 1587. de mense Iunij, quibus in maximo vitæ discrimine, & in deplo-

rata salute, adiutus fuerim, & à faucibus orci, præter spem omnium ereptos paulò infra oportunè occasionem nactus, recensere non grauabor.

Agendum verò; Perscrutemur inditia pestilentis, seù malignæ febris, Ad alia deinceps seriatim deueniemus. Dignoscuntur itaque primo pestilentes febres à substantialiter inherentibus, veluti à calore exteriori, qui mitis ferè semper, nobis tangentibus aparet: licet febricitantes intus vrantur, vt liquidò patet ex Gal. 6. de morb. vul. Vnde Medici sæpè delusi ab huiuscemodi febribus recesserunt; non.n. harum febrium calor mordax, & exurens exterius; quemadmodum in putridis febribus aparet, concentratur .n. in corde, ac ob putredinis excellentiam, & veneficam qualitatem, Natura perterrita à conculcatis vaporibus infestatur, ac ferè destruitur, vnde vehemens angustia, conturbatio, necnon incendium percipitur circa cor: At vbi Biliosa materia, vel sanguinea in corpore iuuenili, calido ęstuante aere, pestilentia accendatur, vehementis caliditatis, exterius, tùm interius tunc temporis inditia manifestè præseferrent.

Secundo loco notantur signa à qualitate mutata, præsertim ex facie, forma, quæ quantum a naturali colore, & peculiari forma distet, temporis momento breui dignoscitur, color siquidē citrinus, plumbeus, ater, vel albicans cernitur pro varietate corruptæ materiæ, quam inuasit infestissimum aeris cōtagium, aut aliqua alia occulta causa vitiata, ægrotantis aspectus terribilis est, distorquens quandoq; oculos hùc, & illùc pro nimia capitis grauedine: hijs addamus linguæ nigredinem, siccitatem, asperitatem, & sitim clamosam, hæc facilimè excitantur à fuliginosis, & prauis, siccis vaporibus communicatis ori stomaci linguę ac eius palato; hæc omnia si quis rectè perpenderit facillimè quemcumq; humorem peccantem, putrida, ac maligna lue infectum dignoscere poterit.

Tertio loco ab exeuntibus mutatis in hunc modum distinguitur; Excrementa .n. fœtida, nidorosaq; aparent vrinæ subiugales, leuentes in superficie; Sunt etiam, vt plurimum aquo-

sæ, vt placuit Auicennæ, aliquando sub ruffæ; necnon naturales in colore, substantia, & contentis, at omnium est hæc pessima arguens ingentem malignitatem, atq; innati caloris impotentiam, vnde Auicenna, quorum vrinæ in pestilentibus huiusce-modi generis aparent, hij tendunt ad mortem. & vbi citrinæ sub albide, aut rubeæ vrinæ in casu nostro reperiantur, humoris pęccantis, dominium vtiq; ostendunt, verum quoniam febres pestilentes, adeò falaces sunt, vt ab hijs quamplurimi Medici, alioqui disertissimi, sæpenumero perplexi remanserint, Ideò non ita de vrinis facilè confidant, sed cum vrinis, alia inditia validiora requirant, cùm vrina fallax sit nuntius, atq; ęquiuocus; sunt igitur omnia diligenter consideranda, atque examinanda, prætertim cum, & in putridis febribus, vt plurimum, pestilentium febrium inditiá manifestè nobis apateant. Vndè Philosopho teste, non probat hoc esse, quod ab hoc coatingit abesse ad alia itaque certiora indicia deinceps transeamus.

Plurima .n. & varia symptomata fiũt in huiuscemodi febribus, & prout fert aeris constitutio humorum corruptela; atq; ingens malignitas, & alia; infestantur potissimum ab initio, qui hac pestilenti febre corripiuntur, frequenti vomitu, fastidioq; circa præcordia, & nausea; venenata .n. & corrupta illa materia, quę cordis sinus occupauit, os stomaci admodum sensibile frequenter iritat ob eius vicinitatem, vnde vomitus Biliosi, vt plurimũ, necnon melancolici, & nidorosi, aliquando verò nihil pęnitus euomunt, licet maxime iritentur; & si cibus eis offeratur illum respuunt, & euomere sępè coguntur, ob apetentiam prostrotam & stomaci fastidium.

Horum sudores fœtidi, & quandoq; frigidi anhelitus dificultas qui; & fœtidus percipitur, & magnus ob ingentem æstum cordis.

Adsunt insuper vigiliæ, inquietitudines, capitis dolor, rursus corporis torpor, & aliquando ad somnum propensio: Pulsus in hac febre paruus, & velox: Oriuntur demùm maculæ circa cutim, quæ vulgo peticulæ appellantur, à nonnullis pestichiæ seù exantemata, quæ cum appareant mox occultantur, quamplu-

rimiq; fatui, hoc esse optimum inditium salutis indistinctè, & crisim bonam, seù morbi solutionem fieri per huiuscemodi materiam existimant, nulla habita ratione ad ea, quæ tradita sunt ab Hipp. 2. Aph. sect. 13. vbi inquit, ꝙ omnis crisis plus saluti; quàm morbo attinet; nisi morbus sit pestilentialis, consueuerũt etiam oriri vlcera in ore, & alcolæ, Atque vt breuiter huic parti satisfaciam: Notæ certissimę huiusce febris sunt Bubones, Antraces, Glandulæ, & alia huiuscemodi farinæ, quæ post aures, sub alis, & circa inguina aparent, prout cerebrum, cor, & iecur afficitur, ac vt summatim dicam, cum videris ægrotantem in primis diebus, satis virtutibus destitutum, concurrentibus aliquibus alijs ex enarratis, opus non erit vt de febre pestilenti vlterius ambigas; Animaduertas tamen aliquoties, Pestilẽtes huiusce febres adeò mites esse, quæ nec pulsu, nec vrinis, neque aliquo manifesto inditio dignoscuntur à medico, neq; ab ægrotante percipiuntur, cùm pulsus, & vrina insensibiliter ferè alterentur, quæ à naturalibus ferè nõ distant; celeriter tamen ęgrotantem enecant. Quare cautius agendum erit, hæc omniaq; benè compilata exhacte à Medicis perpendantur, ne temerè harum febrium curationem agrediantur.

De prænotione, seù prognostico. Cap. II.

HIs ita præmissis scire licet ꝙ omnis febris pestilens est perniciosa, & lethalis, quamuis in ea crisis accidat; Omnis .n. crisis, quæ in pestilentibus constitutionibus fit, est mala, & ad mortem tendens, vt placuit Hipp. 2. Aphor. Aph. 13. Quanto seuiora sunt symptomata, eo perniciosior est febris, & lethalis, & eo magis, si putredo humores non occupauerit, & calor externus mitis, necnon vrina ad naturalem statum se tendat pulsusq; moderati, & à naturalibus parum differentes, quo in casu ægri non febricitare se existimant, atq; in eodem statu perpetuò manent, Quare cordis substantiam, & corpus à febre correptum, & febrem pestilentem hecticam, seù confirmatam esse, perspicuũ est: & exinde neminem ab hoc fębris genere euadere posse

affirmauit

affirmauit Gal. 3. de præsag. expulſ. cap. 3. Quibus inſuper in febribus peſtilentibus tumores ad nigredinem tendunt, & ad colorem fuſcum, de ſalute ægrotantium parum fidendum eſt, non minus etiam maculæ, ſeù peticulæ, vel exanthemata huiuſcemodi colorem proferentia lethalia,& perniciosa cenſentur; hæc .n. ingentem malignitatem, & innati caloris extinctionem manifeſtè arguunt,qui autem non adeò obſcura,ſed colorem rubeum, & floridum habent, non modicam ſalutis ſpem nobis, vtiquè præbent: Vnum autem præcipuè attendēdum eſt q vbi virtus valida, & conſtans ſit, non obſtantibus aliquibus prauis inditijs, ægrotantem ad ſalutis portum perducendum eſſe ſperandum eſt, Si verò cùm virtutis proſtratione ægrotans reperiatur,iàm deploratus eſt,& præcipuè ſi praua indicia hūc morbum concomitentur,& hæc de Prognoſtico modo ſufficiat. Ad curationem deinceps huius diri morbi acceleremus.

De curatione. Cap. III.

CVm in vniuerſum tria ſint, quæ à Medico conſiderari debent pro curatione peſtilentis febris,ac eius accidentium; atquè hæc tria victus ratione, Chirugia, & Pharmacia perficiantur. De victùs ratione primo, deinceps de alijs ſeriatim agemus.

Ab Aere itaque initium ſumentes, eius præcipuè ſumma ratio habenda eſt, nàm cum euentationis gratia hic frequenter ad cor per inſpirationem deferratur,ſi benè retificatus, rectèq; emendatus extiterit,morbificæ cauſæ erit,ſumma medela,Quare Aer diſponendus,prout morbi eſſentia,anni tempus, ætas, & temperamentū,ac alia exigerint; neque .n. in calida aeris conſtitutione,ætate iuuenili, & temperamento calido, calidis alterantibus,quemadmodum in temperamentis horum contrarijs, aer alterandus, calida .n. frigidis,& frigida calidis emendare, Temperataq; in neutro horum temperamento adhibere opus eſt, hæc omnia ſecundum rationem eorum diuerſam, debent aeris non ſolum,ſed,& aliarum ſex rerum non naturalium regimine

mine diuerso variari, consentanea igitur consentaneis respondeant, alioquin si aeris constitutio eamdemmet alterationem in omnibus perpetuò sortita fuerit, cibum, & potum vniformiter, & omnia alia non naturalia præstiterimus, maximum inde consequetur absurdum, atq; omnino alienum à verò curandi dogmate, prout clarius, & fusius à nobis traditum fuit in prima parte huius tractatus; ibi .n. seriem, & modum horum alterantium quisque facillimè depræhendet, pro varia aeris constitutione, ægrotantis temperamento, & morbi natura, ad quem notatum locum, lectorem remittimus, cum de cibo, & potu accuratius à nobis agendum sit.

De cibo, & potu. Cap. IIII.

QVoniam autem victoria, & momentum curationis huius læthiferi morbi, consistit, in manutenendis viribus, quæ absumũtur, ac labefactantur momento temporis à tam dira lue omni itaq; labore, & conatu excogitanda erunt, ea quæ velocius, ac præstantius ægrotantes nostros reficere possunt, nec obstat ꝙ morbus sit acutus; quoniam ei, quod magis vrget incumbendum est, cùm per viam resolutionis, putrida, & venenata materia in corde iàm concepta, virtutem potissimũ resoluat: Quare innouandi sunt spiritus per generosa nutrimenta, cogendiq; sunt ægrotantes, vt oblata assumant, sæpeq; reficiendi sunt; qui .n. viriliter, & violenter comedunt, ipsi ferè semper euadunt, ac superstites efficiuntur; quemadmodum voluit Gal. 3. de morb. vulg. comm. 3. tex. 5. licet nonnulli potius mori, quàm quidquã degustare voluerint; quemadmodum sæpenumero vidimus in nonnullis, & præsertim in quodam iuuene nobilissimo necnon & in alio ex Illustrissima Familia Malaspinarum: hi siquidem vi, nec dolo ad aliquid degustandum vnquam ab aliquo cogi potuere, & vbi essent coacti, ad aliquid assumendũ, omnia euomebant; vndè non multo post interire coacti fuerunt.

Conueniunt autem in primis diebus, contusa pulorum, perdicum, ac phasianorum, ptisana hordei, necnon, & enaratarum carnium

carnium iura, vitelis ouorum, accido limonum, aut citrorum concinata, quibus quidem nonnihil Boli orientalis, Terræ sigillatæ aut manus Christi rotularum gemmis, ac margaritis paratarum adere consueuimus, in omnibus autem iuribus horum carnium decoquere acetosam, cordiales flores, citri frustula, aut nodulum ex seminibus citri, acetosæ, floribus recitatis, sandalis, citrinis, seminibus, ac alijs id genus cordialibus in dictis iuribus dequoquere summopere semper laudatum fuit, quod si pręstantiora illa efficere contendes, carnem ab ossibus separari curabis, ac illam quidem optimo coquo exprimendam præbeto, hoc .n. præstantissimo nutrimento, vires manutenentur mirum immodum, singulis autem vj. horis continatum optimè cùm vitelo oui recenti, accido limonum, ac rotulis manus Christi enaratis illud propinatur, ab eoq; ego dum hoc febris genere laborarem mirum immodum adiutus sum, & à faucibus orci ereptus fui.

Consueuerunt nonnulli parare huiuscemodi carnes in duplici vase hoc est per Balneum Mariæ, Pulum siquidem mundum à cruore, & pinguedine crassiori expoliatum; abscisso capite, collo, & pedibus, ac omnibus intestinis exemptis in frustra secant, ossa leuiter contundentes, lotum aqua rosacea, in Phiala vitrea reponunt, & insimul pulueres fragmentorum cordialium, acetosam, & eius semina, nec non florum, aut aquarum cordialium, seù iuris superius à nobis traditi, nempè iuris alterati, portiunculam, auriq; purissimi folia, pro sui libito adunt; atque hæc omnia in Phiala sic parata ore obturato in cacabo magno aquæ pleno luculentissimo igne sublimari horarũ quinque, vel sex spatio permittunt, superinfundendo aquæ calidæ dicto cacabo æstuanti, quantum opus fuerit, vt semper plenus seruetur; demum exempto ab igne tota illa mixtura optimè ex præssa custoditur, ac prout opus fuerit singulis quinque, aut sex horis ægrotanti pro conuenienti mensura propinatur, adendo, aut ab eo auferendo quicquid prudenti Medico videbitur, hoc .n. brodinm ita sublimatum, ac virtuosum, magni semper fuit à me factum, id etiam in contusis, & alijs ferculis oportunè commisceri

misceri

misceri vidimus, necnon, & per se solum congruis horarum interuallis propinatur: Nonnulli aquam carnis parare consueuerunt, quam quidem laudare, nec detestari hic intelligo; tot capita .n. tot sententiæ: Varij itaq; varia tradiderunt, & de his satis copiosam siluam apud auctores grauissimos inuenies, quæ hic repetere non opus est, idcircò hæc pauca sufficiant in præsenti, vbi memoriæ perpetuò commendatum hoc prius sit, ne plus iuxto, hac pestilenti febre laborantes, ferculis ingurgitentur; qui .n. plusquàm par sit, cibis, & potibus ægrotantes aluerunt, velocissimè, illos ad interitum perduxerunt. Tantum igitur cibi, & potus exhibendum est, vt vires reficiantur, non vt oprimantur, & vbi natura semel, & bis in die enutriri, & vires corroborari non valeant, bis, ter, & quater, & pluries cibus est offerendus, prout dictum fuit, parcius tamen hæc agenda sunt, vt ab innato calore euinci possint, quemadmodum voluit Gal. prima Aph. part. Aphor. 17.

De Potu. Cap. V.

Potus qui communiter in omnibus ferè febribus conuenit, nisi aliud obstare videatur, est aqua ordei: in febre ac autem pestilenti adere consueuimus non nihil syrupi ex accido citri, aut acetosi .s. vel zulapij rosati, aut vini granatorum, acetosorum, & oxizacaræ, hæc .n. sedant sitim extingunt caumata & præcordia consolantur; possumus etiam parare potum medicinalem, cuius facultas, nedùm febrem, verum, & eius malignã qualitatem respiciat, quemadmodum erit apozema, quod mox sequetur. Recipit igitur florũ cordialiũ onc. j. foliorum acetosę, boraginis, melissæ, pimpinellæ, hordei la. p. i. feminum com. frig. maiorum la. ʒ. iij. sem. citri, acetosæ la. onc ſ. prunorum damascenorum nu. vi. fiat in lib. x. aquæ fontis purissimæ, decoctum, ad tertiæ partis consumptionem, purgetur per feltrum optimè, addantur postea suci ex accido citri, vel limonum, seù de ribes acetosi. ſ. aut vini granatarum, quantum opus fuerit, ac prout morbus exigerit, addita sac. albissimi portione conue-

L nienti,

nienti, componatur Iulep longum, ex arte, quod quidem præſtantiſſimum erit, ſitis, caumatisq; ſedatiuum; quoquidem inſuper ad libitum, febricitans vti quacumque hora poterit, atque quantum voluerit, & vbi quis talem potum auerſetur, non mihi diſplicet aqua hordei modicæ decoctionis, quæ à nonnullis candenti lamina aurea parantur; talem autem laminã per nonnullas vices adeò ignitam extingunt, ac huiuſcemodi aqua refrigerata, munificè, febricitantibus offertur, & præſertim ſi ſint biliosi, & in tempore calido, quæ enaratis ſucis, zulapijs, & apozematibus commiſcetur, & fœliciſſimè noſtris ægrotantibus ſubuenire creditur.

Et vbi pituitoſi ſuci in peſtilenti febre redundauerint, vinũ non eſſe omnino abnegandum, nonnulli perſuaſerunt, quod quidem, non niſi maxima præmeditatione, Ego concederem, veluti ſi de virium lapſu, eſſet timor; ægrotans non eſſet admodum Iuuenis, atque robuſtus, aeris conſtitutio frigida ac alia, quæ id nobis aſſentiri videntur, ꝙ ſi ęgrotantes moroſi, ac nimis delicioſi fuerint, & muliercularum obiurgia, quæ Galeno auctore, euitari à nobis quandoque non poſſunt, vinũ dare nos coerceant, eligatur vinum album, & aquoſum, quod magis accedat, ſi fieri poteſt ad vinum oligophorũ, quam ad aliud vini genus: huiuſcemodi .n. vinum Galeno teſte frigidum eſt, & illud quidem caput tentare, aut aliquam noxam ægrotanti afferre minimè poteſt, febricitantibusq; nedum febribus, flegmaticis, verũ, & ſanguineis, ac bilioſis tuto præſtari poteſt; & à Medicis Neapolitanis frequenter vſitatur, & comprobatur, & hæc de cibo, & potu ſufficiant.

De motu, & quiete. Cap. VI.

Licet nonnulli alioqui doctiſſimi ex antiquis, tùm recentioribus Medicis, peſtilente febre correptos, in primis diebus eſſe permutandos, anuerint, de loco ad locum, aut ſaltem de cubili ad cubile, tamen ſaluberimum eſſe, & ægrotantium ſaluti magis conducere, duximus, ex vniuerſaliori, & veriori omnium ſenten-

sententia, vt ægrotantes non amoueantur, verum alterato aere, vt iàm dictum fuit acquiescant nedum à corporis laboribus, verum etiam ab omnibus animi curis, ne defaticata natura agitentur, spiritus, & consequenter dissipentur, quandoquidem vi morbi pestilentialis satis, superq; defaticatæ, deiectæq; remanent vires: Acquiescant igitur huiuscemodi febricitantes in lecto mundissimo, ac odorato, nec laboribus, aut curis se committant.

De somno, & vigilia. Cap. VII.

SOmnus, vigilia, non fit maior, & congruis horis, ac temporibus procuretur, cum per somnum concoctiones à natura exerceantur, longus verò, ac profundus omninò vitandus, ad quem sæpènumero febricitantes maligna febre, vel pestilenti procliui fuere.

De inanitione, & repletione. Cap. VIII.

PArum, ac sæpe nutriendos esse pestilenti febre laborantes superius in capite de cibo, & potu à nobis dictũ fuit, hosq; alternis diebus saltem exinaniendos esse per conuenientes clysteres, aut glandes, opere prætium esse duxi quo putredinis sentina, & fomentum extrahatur, & natura ab huiuscemodi putredine exoneretur.

De accidentibus animæ. Cap. IX.

QVantum valeat imaginatio in quouis morbo, lipis, & tonsoribus notum esse credimus, & ideò pro viribus studere debemus, vt in casu nostro ægrotantes, à timore, metu, ac omnibus, quæ mentem perturbare possint, pęnitus distrahantur, Quare serena fronte, lętoq; vultu à nobis visitentur, blandeq; hortentur, vt animi curas deponant; policendo illis festinam, ac tutissimam salutem, & vt alacriori animo à Medicis tracten-

L 2 tur,

tur, remoueant auaritiam,& munificos ipsis Medicis se præstare studeant, quoniam illud, quod Medicis offertur, multiplici fœnere adaugetur.

De flebotomia, & alijs chirurgicis. *Cap. X.*

QVod spectat ad aliud instrumentum secũdo loco traditum, hoc est chirugiam, quæ in casu nostro flebotomia, scarificationibus cucurbitularum tum hyrudinum apositione exerceri solet, non leues controuersias negotium istud hucusq; habuit, medicosq; alioqui non vulgares sæpenumero defatigauit, Nam pleraque pars horum doctissimorum virorum venam esse secandam statuerunt: Nonnulli verò ab hac cura omnino esse rescindendam, arbitrati sunt, quidam verò scarificationibus, cucurbitulis,& hyrudinibus dumtaxat procedendum esse contenderunt,atquè hinc indè argumentis,& rationibus deductis, nituntur suum paradoxum tueri, Vnde quæstiones arduæ, desidiaq; infinita,pleramq; partem non solum Heotericorum; verum etiam cõmuniter practicam exercentium perturbare consueuerunt: vixq; vnquàm à tam ardua questione se extricare potuerunt.

Ego verò,& si nimis audax, forsitan aliquibus videbor, osq; vt aiunt,in cœlum aponere,me aliquis accusauerit,cùm doctissimorum virorum cœtus, sicco, vt aiunt pede, istud negotium pertranseat, Ingenuè tamen quid sentiam dicturus sum: perspectis itaq; hinc indè,& excogitatis rationibus, ac fundamentis,quæ venæ sectionem in pestilentibus permittunt, quæq; illã remouent. Audactèr non vt Iudex, sed tamq̃ auditor, & vir, inter,rixas medius,horum doctissimorum virorum cõtradictiones quantum in me erit,quàm accuratè, & lites componere enitar; polliceorq; (sic DEVS me adiuuet) officio reconciliandi magis, quàm in sectas iurandi me in tam arduo negotio functurum esse; Quicumq; igitur sectionem venæ in pestilentibus febr. negant,his potissimum fundamentis, & rationibus insurgunt ad probandum eorũ intentionem; ac primo Flebotomiã,

non

non educere putridam, & malignam materiam in ventriculis cordis abstrusam, asseuerant, & consequenter non educere eius causam, Quare cum materia peccans per venæ sectionem, non educatur, & sanguis bonus potius, quàm materia vitiata, extrahatur, natura exagitatur, perterritur, viresq; atenuantur, & prosternuntur, quæ a malignitate morbi, tam cito dissoluuntur, vt sectioni venæ locus non relinquatur. Addunt etiam huic Axiomati ꝙ materia peccans in pestilentibus f. br. & malignis, sit veneni perniciosissimi instar, & idcircò per Alexipharmaca illam commodius, ac facilius educi posse, quam per venæ sectionem; venenatis .n. hæc magis conuenire, omnes nouerunt, ac vt ommittamus nonullos recentiores auctores, qui in hanc sententiam deuenerunt: huiusce sententiæ quoq; fuisse Rasim, antiquissimum auctorem, existimauerunt. H. c. n. x lib. diuisionũ ad Almansorem pertractans, de cura huiuscemodi febris, nullã penitùs de flebotomia mentionem fecit, cùm non sit credendũ ꝙ hic optimus, & antiquissimus auctor, si operi conduxisset, rem tanti momenti omisisset. Multa alia ab aduersarijs adducuntur pro fulcienda, ac corroboranda eorum opinione, quæ tamẽ leuia, & paradoxum prolixum facientia consultò præterire duximus. Qui verò secandam esse venam contendunt, fundamenta enarrata, totis viribus, diuersisq; rationibus subuertere laborant.

Et primo quia materiam peccantem, sanguineam esse, non ambigunt, veluti ex ipsa Anathome, luce clarius, id quisq; oculata fide percipere potest; constat .n. ex sectione cadauerum in ventriculis cordis, in quibus materiam peccantem putrescere omnes concedunt, nullum alium humorem, præter sanguinem seruari: Stante igitur hoc fundamento à venæ sectione in pestilentibus, & malignis febr. abstinendum esse, ratio nulla suadet: Nam abstinere à sanguine, in morbis, qui sanguine peccãt, videtur esse peccatum; id autẽ facillè suaderi potest à rei euentu, & Galeni auctoritate; secat .n. is venam nedùm in synoco putrida, vsq; ad animi deliquium; verumetiam in quocumque alio morbo, originem à sanguine copioso ducente, vt optimè

colligitur, ex lib. de curandi ratione, per sanguinis missionem, ꝙ si virium lapsum pertimescamus, paulatim & pro interualla erit sanguis extrahend. & non copiosè, neque confertim, quemadmodum notauit Gal. lib. paulò ante memorato; inquit .n. ibi Galenus ꝙ vbi vires sint imbecilliores, in his euacuationem partiri expedit; & Auicenna cap. de flebot. cum flebotomia fuerit necessaria, cum debilitate virtutis.

Partire flebotomiam, vt diximus; Præterea per venæ sectionem principaliores partes exinaniuntur, & corporis moles tota refrigeratur: Quocircà Hipp. 4. de ratione victus, in acutis morbis, secandā esse venā in acutissimis morbis percepit; cuius quidem sententiæ fuit quoq; Gal. & Princeps pri. fen. 4. canonis vbi asserit, huiusce febris curationem incohandam esse à venæ sectione, si aliquid obstare non videbitur: Quorum quidem grauissimorum virorum auctoritati, (vt quamprimum arduæ questioni finem imponamus, totq; cauilationes, & dubia ommittamus, quæ ex se integrum volumen conficerent, si ad vnguē tràderentur) quisq; prudens Medicus fugatis omnibus ambiguitatibus fidem adhibere, necnon sese de plano subscribere, vereri non debet: cum hæc intelligenda sint sano iuditio, atq; in lites, & inanes controuersias sophysmatibus, & cauillationibus minimè ducenda; nec est ꝙ Almansorē in hac controuersia adducant, pro se, aduersarij, vt qui nullā de flebotomia, prorsus mentionem fecerit, nam cum vagus, & ambiguus sit ibi ille Auctor, minimè attendēdus est, nihilq; probare, & ad rem facere, locus adductus videtur: Quare rebus alijs consentientibus, quod putrefactum est, per venæ sectionem educere, tentandum est; præcipueq; si sanguis abūdare videbitur, & viriū imbecillitas huic sectioni omnino nō obluctabitur, nec est ꝙ quis ambigat, si materia peccans euacuari possit, quæ in cordis partibus abstrusa remanet, longeq; ab inaniendis vasis distare videtur; hoc .n. satis nobis compertum est, ꝙ materia ipsa, licet in corde sit abstrusa, aliquo pacto euacuatur, necnon massa sanguinea, quæ præstat fomitem huic venenatæ materiæ exoneratur; potissimumq; per venæ sectionem, partes principatum obtinentes exinaniri

solent

solent, per venæ sectionem, prout liquido fuit demostratum à Gal. pluribus in locis, & præsertim lib. de curandi ratione per sanguinis missionem. Priora verò per aduersarios aducta locū habere videntur, in corporibus imbecilibus, in temperamentis frigidis, in Aere ambienti admodum frigido, in paratis ad lipotomiam, & in his, qui venæ sectionem formidare solent; Quibus omnibus vicariæ sint euacuationes iteratæ, & tempestiuæ, per oportuna, & conuenientia Catartica, quibus etiam iniungenda erunt perpetuò aliqua ex Bezaharticis diffusè à nobis in primo lib. huius tractatus, traditis.

Secanda igitur erit in primis diebus vena interna dextri cubiti; tantumq; sanguinis extrahendū erit, vt euentatiua potius & diuersiua, sit, flebotomia illa, quàm euacuatiua, nisi sanguis superabūdarint, Nam vac. tunc tēporis deb. fieri flebotomia.

Sequenti verò die eamdemmet venam sinistri bracchij, tondere, & sanguinem in hunc modum educere iuuabit, hac .n. ratione natura malignitate morbi laborans, non ita defaticatur, quinimò exoneratur, & potentior efficitur ad expellendum per sudores, vrinas, & conuentiora loca, putrida, & infestantia. Interna autem vena erit potissimū secanda illarum partium à nobis propositarum, si superiores partes afficiantur, sin minus venam Pōplitis, aut Maleoli secare præstabit; neque si exantemata, pustulæ, aut quæ à vulgo peticulæ vocantur, seù alia queuis cutis tubercula apparuerint, ab instituto nostro nos ammoueāt huiuscemodi .n. excretiones, ferè semper simpthomaticæ, & nō criticæ apparent, à quibus quidem natura non iuuantur sed potius perterritur, non .n. vnquam boni aliquid molita est natura per Crisim in pestilentibus morbis, vt liquet ex Hippoc. per eà, quæ nobis tradita sunt in superioribus, si .n. critica, & confeerntia essent, ægri benè tollerarent, & ad omnia obeunda munera melius se haberent, & in meliorē statum ægrotantes cernerētur apparentibus huiuscemodi exantematibus, postulis, aut tuberculis cutaneis, quæ cum non benè à natura ferantur, sed potius ab ipsis illa agrauetur, indigent manu adiutrice, dicant quicqd velint cōiter pratticantes, qui vt imperito vulgo has excretiones

nes formidanti,vel forsitan ob eorum imperitã,necnon,vt mulierculis,morem gerant,quæ sectionem venę in febrib.pestilencum huiusmodi cutis effloresccentijs;falso ex quodam veterato abusu detestantur:Venæ sectionẽ omnino ab hac curatione abscindunt, atq; vt aliquid facere videantur, cucurbitulas, affigi per vniuersum corpus,præcipiunt;vnde cũ harũ appositione natura admodũ grauata,non iuuetur,sæpè in grauissima pericula ægrotantes deduxerunt, eorũ interitusq; auctores extiterunt; Secanda est igitur audacter vena,vbi vires permiserint,atq; hęc pro simptomatis ratione euenerint,& si nihil aliud obstare videbitur,cùm per huiscemodi venæ sectionẽ,natura iuuetur,ac potentior ad sui exonerationẽ,vt iàm diximus, in futurũ redatur, hancq; venæ sectionẽ,annis proximè decursis, mihi ipsi hoc febris genere laboranti,apparentibus exantematibus per vniuersum corpus,doctissimi,atquè præclarissimi Medici iubere, non veriti sunt: quamquidem sẽtiam liquido corroborare videtur Princ. pri.sen.4.can. cap.de variolis,& morbilis,vbi secat venã, tametsi apareant variolæ,& morbili, ob præcedentem causam, nempe copiosam materiam.

Sin autem viriũ robur,ætas,aut quidpiã aliud id minime permiserit,scarificationibus ad crura, cucurbitulisq; per vniuersũ corpus circumcisis, aut hyrudinibus ad hemoroidales venas, vtendũ erit;sectione venæ prçmissa,illicò,& immediatè,dantur fœlicissimè, ægrotanti, lapidis Bezahar gr.vi. cũ aliqua portione vz. õc.iiij. aquæ acetosæ,seù scorzoneræ, aut, si videbitur in vino melorum granatorũ acetosi saporis: hæc siquidẽ mirabilis potio,extinguit calorem febrilẽ: omnemq; malignitatem,& venenũ exuperat: cor ipsum, ac omnia spiritualia mẽbra mirificè consolatur: Idem ẽt possunt præstare gr.x. rasuræ veri Vnicornij,cùm prædictis liquoribus propinata;Quibuscumq; verò ob inopiã hæc anthidota denegantur, vicaria porio sit ex gr. x. rasuræ cornu cerui præparati, quemadmodũ est illud, quod ab Aula Cæsaris defertur; Idem ẽt pollet terra sigillata,vel saltem Bolus orientalis,quem Lutum Armenicũ Gal. appellare cõsueuit.Quorum quidem anthidotorũ facultates colliguntur ex eodemmet

demmet Gal. 9. de simp. medic. fac. Propinantur ex eisdemmet alexipharmacis, pro quacumq; vice scr. ij. vsq; ad aureum; Non desunt aliqui, qui, & Mitridati, & Theriaces Andromaci scr. iij. cum stilatitio rosarũ offerunt; Nonnulli verò totidem pulueris Smaragdi præparati, cũ prædicto liquore, præbẽt: hæc .n. omnia non solum corruptelæ, ac venenositati, quæ est in corde obluctantur; verum ẽt ipsum cor, & humores in eo contentos ab omni venenosa qualitate, & nocumento munire consueuerunt: Quare nullo vnq̃ negotio prætermittantur, aut obliuioni ad id tempus tradantur.

De Pharmatia. Cap. XI.

OPortunũ modo videtur, vt de Pharmatia agamus, quæ tertio, ac postremo loco à nobis tradebatur: Inchoante itaq; pestilenti febre, nedũm per venæ sectionem, verum ẽt per oportuna pharmaca, peccantem ipsam materiam educere conuenit nam, & ratione suæ malignitatis, necnon membri obsessi; coctionem expectare non opus est, & vbi simul, & semel euacuari non possit ipsa materia putrida, & venenata, bis, ter, & quantũ opus fuerit, erunt iteranda pharmaca: Neque .n. eadem ratio seruanda est in huiuscemodi venenatis humoribus, ac in cœteris: Verùm cum, alieni, turgentes, ac venenati sint, manu adiutrice indigent, vt quãprimum euacuentur, atq; è corpore expellantur.

Pharmaca verò, magis cõpetentia, omni venenata qualitate careant, nequè laboriosa, aut molesta sint, inter alia primum locum detinent, Diamanna, Cassia festula, Syrupus rosatus solutiuus, simplex, vel cùm Rabarbaro, Syrupus ex Polipodio, Rabarbarũ, aut eius dilutum, Sena, mirabolani, agaricus, Syrupus violatus solutiuus, Diaprunis lenitiuus, Diacatholicon, Trifera persica, Electuarium de suco rosarum, Elect. rosat. Mesue, quæ sunt adeò belli composita, & refracta, vt benedictis medicamentis æquipollere dicantur, quinimo promptius, ac facilius, virtute scamoneæ, à corde materiam venenatam attrahunt: hęc autẽ erunt consideranda priusq̃ ægrotis offerantur, prout morbus, vires, tempus, ætas, aeris constitutio, temperamentum, ac alia

exigere

exigere videbuntur: Ad id potissimum respiciendo, quominus ex laborioso medicamento, agitatis hinc inde humoribus, virtus nimiũ labefactetur, aut ab imbecili parum iuuetur: Animaduertendum itaq; erit, vt medicamentũ illud præstari possit, qđ morbi ratio expostulat; Inter cœtera autem cõmendantur à me summopere subsequentia in hunc modum concinata videlicet. R. florum cord. õc. j. Tamarindorum õc. ſ. prunorum damascenorũ nu. iiij. f. acetosæ, f. citri, Tormentillæ Dictami Ia. ʒ. i. fiat decoctũ ex arte, cùm quo dissolue, Diacatholiconis õc. i. Triferę persicæ ʒ. ij. elect. ros. Mesue ʒ. j. syrupi rosat. solut. õc. ij. fiat breuis potio, capienda duabus horis ante prandium. Ac si magis rabarbarum ex arte infusum, cum aquis cordialibus propinare placuerit, vicarium sit elect. rosato Mesue, vel minori quantitate, cœtera electuaria metiantur, Pituituosa aũt materia, peccante, præstat agaricum in pastillis paratum, cùm prædictis componere, atq; elect. de dactilis simul associare: Neq; interim obliuioni tradenda sunt febrilem discratiã alterantia; est autem hæc secunda indicatio, quæ debet poni in esse per ea, quæ refrigerãdi, atq; exiccandi vim obtinent, quoquidẽ in casu primum, ac pręcipuum locum occupare creditur, serapium ex accido citri, nec non de ribes, de suco acetosę, oxizaccarę, & serapium, quod cõponitur, ex depurato suco, ruthæ caprariæ, quæ à seplasiarijs galega appellatur; In pituitosa verò materia cõuenit oximel ſ. ex mele hyspano, si illud haberi poterit: Serapium bisantinum acetatum, necnon de suco boraginis, ac id genus alia, cum pulueribus Diamargaritonis frigidis parata; aquæ verò stillatitiæ, seù decocta, quæ, prædictis Serapijs cõmiscentur; veluti est oxalidis, dictami cretensis, melisophili, zeduariæ, tormentillæ, seminum citri, boraginis, endiuiæ nenuphari, &c. hæc autem est cõmunis norma, & ratio propinandorum serapiorũ in pestilentibus febr. quæ moderanda erit calidis, seù frigidis ingredientibus, prout peccans materia aeris constitutio, temperamentũ, & alia exigere videbuntur, Quæ quidem omnia diligenter à rationali, & perito artifice erunt consideranda, & vbi prędictis febribus adiungantur colliquationes, sęù diareæ, quæ quidem non rarò contin

gere

gere solent, in pestilent. febr. aliquid esse infundendum in prædictis Serapijs, quod respicere habeat facultatem iecinoris, & principaliorũ membrorum, necnon cor ipsum roborare valeat semper fuit laudatũ, in quem vsum confert nodulus, qui in hũc modum paratur, atq; cum eo me semper bene habui, Recipit aũt coralorum, margaritarũ, ac aliorum fragmentorum præparatorum, cornu cerui vsti, agalothij in tenuissimas partes redacti, Boli orientalis, f. acetosæ la. scr. s. spodij scr. s. cõponantur simul, & fiat cũ panno lineo subtilissimo, nodulus, qui per noctẽ infundatur in Serapio propinando, ac subindè optimè exprimatur, & hora conuenienti exhibeatur; est .n. præstantissimi valoris, hoc apozematis genus, intendens nedùm ad fluxiones enarratas, verum ẽt extinguens omnem perniciosam qualitatẽ atq; omnem viscerũ intẽperiem emendans: Quæ verò tertio loco indicatio à pharmatia deducitur, cùm sit illa, quæ extirpare valet materias obnoxias, ac venenatas à corde: licet in ordine postrema sit, vt plurimũ tamen est prima in exequutione, nàm cum materia peccans sit tamq̃ venenum cor occupans, & omne venenum trahatur à suo alexipharmaco; hinc est, ꝙ pleraq; pars doctissimorũ virorum incohantibus his læthiferis morbis, propinare consueuerunt gr. 6. lapidis Bezahar Orientalis cum aqua oxalidis adita modica portione vini albi odorati; non minori ẽt iuuamento tradunt Terræ sigillatæ ʒ.j. vel alteram, aut aliquam portionem ex prædictis pulueribus à nobis traditis in priori parte huius tractatus, vel aliquid ex prædictis electuarijs aut anthidotis, seù tantillũ illius aquæ alchimizatæ, quæ adeò virtuosa habetur, vt nullo forte aliquo medicamento opus sit: Tu aũt recurre ad notatum locũ, quia locupletissimam siluam horum anthidotorũ ibi depræhendes: Horũ Alexipharmacorũ vsus quippè laudatur, saltem per horã ante cibum: Cordi insuper vti principaliori membro atq; instar arcis totam ciuitatem custodientis, maxima ratio habenda erit; apponendo eius regioni epitemata, inunctiones, & sacculos, quæ venenatæ materiæ qualitatẽ exuperare valeant, & illud corroborare habeant, atq; ab omni noxa, membrum adeò nobile apprimè tueri, veluti

luti est epitema, ℞ recipit aquarum buglossæ, rosarum, florum citrangulorũ, oxalidis, florũ nimpheæ, & florum mirti Ia. onc. ij. speti erũ epitematis cord. temperat. ʒ. ij. vini maluatici, & aceti rosacei Ia. õc. j. omnibus cõmistis, cùm serico purpureo; aut linteo fiat epitema; Quod quidem bis in die, & ter, & quater ante cibum cordi apponatur.

Non inconuenit etiam lenimentum hoc epitematis loco ipsi cordi adhibere; Recipit vnguenti cordialis, magistralis, descriptione montagnanæ onc. 1. vel loco eius vnguenti rosſ. Mesue, Terriaces Andromaci ʒ. ij. terræ lemniæ, corni cerui vsti Ia. ʒ. 1. suci ex accido limonum, aquæ rosaceæ, & aceti rosacei Ia. quantum sufficit ad conficiendum lenimentum; hoc .n. medicamento venenum à corde attrahitur, atq; cor ipsum mirum immodum corroboratur, quemadmodum colligitur ex Gal. lib. de simpl. med. fac. cap. xviij.

Sacculi demum, qui in casu nostro parantur idonei maxime censentur, qui nequè in actiuis qualitatibus, neque in passiuis admodum exuperent: Hij autem sunt, qui ex citrangulorum, & mirthi floribu, necnon floribus quatuor cordialibus parantur, quibus addi possunt epitematis cordialis species temperatæ, necnon pulueres margaritarum, lapidum præciosiorum, cornu cerui præparati, coralorumq; præparatorum, ac aliorum id genus, quæ quidem Topica, serico rũbeo benè consuta, atq; in modum paruæ culcitræ concinata, regioni cordis apponantur, nec .n. in his minor facultas, ac in prioribus enarratis reperitur, ut facilè id persuaderi potest, ex his, quæ componuntur in dicto sacculo, quæ cũ probata sint ab omnibus viris doctissimis, alijs probationibus iam indigere non videntur.

F I N I S.



